



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. XIV. De Gratia Christi capitali

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

tentiam Dei ordinariam. Et hoc solum intendit D. Thomas hic art. 12. dum sic dicitur: *Mensura autem quae formae praefiguntur, per comparationem ad suum finem, sicut non est maior gravitas quam gravitas terra, quia non potest esse inferior locus loco terra: finis autem gratiae est unio creaturae rationalis ad Deum; non potest autem esse: nec intelligi maior unio creaturae rationalis ad Deum quam quae est in persona, & ideo gratia Christi pertinet ad summam mensuram gratiae.*

DISPUTATIO XIV.

De Gratia Christi capitali.

Ad questionem 8. D. Thomae.

Triplex in Christo datur gratia, nempe gratia unionis, gratia habitualis, gratia capitalis. De duabus prioribus praecedentibus disputationibus fuisse pertractatum est, unde superest nobis agendum de tertia, de qua S. Doctor qu. 8. per octo articulos discessit.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Christus ut homo sit caput Ecclesiae?

Ratio dubitandi est, quia si Christus esset caput Ecclesiae, etiam esset membrum illius, Sed Ecclesiae membrum non est, nec dici potest: Ergo nec caput. Sequela Majoris probatur. Si Christus dici posset caput Ecclesiae, talis denominationi ei conveniret per similitudinem & analogiam ad caput corporis humani: Sed caput corporis humani est membrum illius: Ergo similiter si Christus esset caput Ecclesiae, etiam esset illius membrum.

Dico tamen, Christum ut hominem esse caput Ecclesiae.

1. Probatur primò ex Scriptura, Paulus enim ad Ephesios 1. de Christo sic loquitur: *Suscitans nos a mortuis, & constituens ad dexteram suam in caelestibus, & omnia subiecit sub pedibus ejus, & ipsum totum caput super omnem Ecclesiam quae est corpus ipsius, & plenitudo ipsius, qui omnia in omnibus adimpletur.* Quae de Christo ut homine manifestè intelligenda sunt: nam ut Deus, non fuit à Patre suscitatus, neque ejus beneficio constitutus ad dexteram suam, & rebus omnibus praepositus; cum naturaliter & absoluta necessitate sit ejusdem essentiae, & aequalis dignitatis cum Patre. Addo quòd haec verba, *Omnia subiecit sub pedibus ejus*, de Christo, nedum ut Deo, verum etiam ut homine, intelliguntur, ut egregiè explicat Angelicus Doctor ibidem lect. 8. his verbis: *Per pedes intelligitur infima pars corporis, per caput verò suprema: licet autem in Christo divinitas & humanitas non habeant rationem partis, tamen divinitas quae est supremum in Christo, intelligitur per caput 1. Corinth. 11. Caput Christi Deus: humanitas verò quae infima est, intelligitur per pedes, Psal. 131. Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Ergo sensus quòd omnia creata non solum subiecit Pater Christo, in quantum est Deus, cui ab aeterno omnia subiecta sunt, sed etiam humanitati ejus. Ergo de Christo secundum humanitatem loquitur Paulus, cum docet illum esse caput Ecclesiae.

A Probatur secundò conclusio: Ecclesia est corpus per analogiam ad corpus naturale, ut constat ex Apostolo 1. Corinth. 12. & Roman. 12. sic dicente: *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem adum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo: ergo Christus est caput Ecclesiae, per analogiam ad caput naturale.* Probatur Consequenter, tum quia corpori caput respondere debet, ne corpus monstruosum sit, & nullum aptius quàm Christus assignari potest. Tum etiam, quia non minus verificantur de Christo quae capitis propria sunt, quàm de Ecclesia quae sunt corporis. Ut enim egregiè dicitur S. Thomas hic art. 1. caput corporis humani tria habet quibus alias partes corporis antecellit, scilicet superioritatem, est enim prima, incipiendo à superiori: perfectionem, quia in capite vigent omnes sensus interiores & exteriores, in cæteris autem membris solus tactus reperitur; & virtutem, seu causalitatem, motus enim cæterorum membrorum, eorumque gubernatio à capite derivatur, propter vim sensitivam & motivam in capite dominantem. Haec tria verò competunt spiritualiter Christo, nam gratia illius est prior, si non tempore, saltem intentione Dei, vel exemplariter, est enim omnis gratiae nostrae exemplar, juxta illud ad Rom. 8. *Quos praescivit, & praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui.* Est etiam perfectior, cum sit in Christo omnis plenitudo gratiae, juxta illud Joan. 1. *Vidimus eum plenum gratiae & veritatis.* Item habet virtutem influendi in omnia Ecclesiae membra, nam ut dicitur Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus:* Ergo &c.

C Hanc rationem desumpsit S. Thomas ex Apostolo ad Coloss. 1. ubi loquens de Christo, sic ait: *Et ipse est caput corporis Ecclesiae.* Et rationem statim reddit, subdens: *Qui est principium, primogenitus ex mortuis:* ac si diceret, quia est principium, Ecce primam capitis proprietatem, scilicet prioritatem. *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* En secundam ejus praerogativam, nimirum perfectionem. *Et per eum reconciliare omnia.* Haec est tertia capitis proprietas, seu praerogativa, virtus scilicet & influxus in cætera membra Ecclesiae. Unde

D Ad rationem dubitandi initio propositam, respondeo primò, negando sequelam Majoris, ad cujus probationem dicendum, hanc esse differentiam inter caput naturale & morale, quòd caput naturale non solum habet rationem capitis, sed etiam est membrum naturale totius corporis, quia à toto corpore, & partibus ejus commodum & utilitatem recipit: caput autem membrum, seu morale, non habet rationem membri, quia à partibus corporis, vel ab ipso corpore non dependet. Ita S. Thomas in 3. dist. 13. quæst. 1. art. 1. ad 6. ubi sic ait: *Quia in corpore naturali caput non solum influit aliis membris, sed etiam ab illis recipit, ut nutrimentum & alia obsequia, ideo & caput dicitur & commembrum: Sed Christus secundum quòd homo, non recipit aliquid ab aliis Ecclesiae membris, sed à solo Deo, unde non potest dici commembrum: secundum quòd caput Ecclesiae dicitur ipse secundum humanitatem.*

E Secundò eum eodem S. Doctore ibidem respondendi potest, Christum esse caput Ecclesiae secundum divinitatem, & etiam secundum humanitatem: unde Ecclesia potest dupliciter sumi, vel prout habet pro capite Christum ut Deum, vel prout habet pro capite Christum ut hominem.

Bbbb 3 Christi.

Christus ergo ut homo est membrum Ecclesiae, ut habentis caput Deum, non autem est membrum Ecclesiae, ut habentis pro capite Christum ut hominem. Et ratio quam D. Thomas ibi assignat, est quia membrum dicitur dependentiam à corpore: Christus autem, ut homo, nihil recipit ab aliis Ecclesiae membris, bene tamen à Deo, & ideo non potest dici membrum Ecclesiae, ut habet pro capite Christum ut hominem, bene tamen ut habet pro capite Christum ut Deum. Unde quando Apostolus 1. ad Corinth. 12. ait: *Vos estis corpus Christi, & membra de membro*, si ly de membro referatur ad Christum, hoc intelligendum est de Ecclesia, non ut habente pro capite Christum ut hominem, sed quatenus habet pro capite Christum ut Deum. Dixi, si hoc referatur ad Christum, nam idem S. Doctor super hunc locum Apostoli, lectione 3. alias illius expositiones tradit, quæ ibidem videri possunt.

Ex his ergo patet, Christum merito dici caput Ecclesiae morale & mysticum, per analogiam ad caput naturale corporis animalium. Quod si quæras, an etiam cor Ecclesiae dici possit, quia ut cor influit vitam in cætera membra corporis viventis, fit Christus in membra Ecclesiae? Respondet S. Thomas hic art. 1. ad 3. quod caput habet manifestam eminentiam respectu cæterorum exteriorum membrorum: cor autem habet occultam quandam influentiam, & ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus, qui invisibiliter Ecclesiam vivificat & unit: capiti vero comparatur Christus secundum visibilem naturam, secundum quam homo hominibus visibiliter præfertur.

Patet etiam ex dictis, quod licet B. Virgo omnes iustos in sanctitate excedat, tamen Ecclesiae caput dici nequit: etenim caput Ecclesiae, secundum Patrum doctrinam & consuetum modum loquendi, non solum dicit plenitudinem & abundantiam gratiæ, sed etiam influxum meritum de condigno, quem B. Virgo in Ecclesiae membra non habuit, & ideo non caput, sed solum Ecclesiae dicitur, quia Christo capiti conjunctior est.

ARTICULUS II.

Virum Christus sit actu caput hominum viventium, in statu peccati vel infidelitatis existentium?

Dixi actu caput, quia certum est, Christum esse caput in potentia omnium hominum in statu viæ existentium, etsi peccatores, vel infideles sint; cum enim omnes homines, quando in hac vita mortali degunt, salvati & iustificari possint, influxum gratiæ à Christo ut capite totius Ecclesiae possunt recipere, subindeque dici illius membra in potentia. Unde S. Thomas hic art. 3. ad 1. illi qui sunt infideles, etsi actu non sint de Ecclesia, sunt tamen de Ecclesia in potentia: quæ quidem potentia in duobus fundatur, primo quidem & principaliter, in virtute Christi, quæ est sufficiens ad salutem totius humani generis secundario in arbitrii libertate. Unde inter caput naturale & mysticum, Christum, discrimen intercedit, quod caput naturale non habet vim progignendi sibi membrum, sed tantum conservandi & vitaliter movendi per continuum influxum vitalium spirituum, subindeque nullo modo habet rationem capitis respectu membri aridi vel abscessi, Christus autem, ut mysticum caput, non

solum habet virtutem conservandi & vitaliter movendi motu vitæ supernaturalis membrum actu conjuncta, sed etiam progignendi sibi membra, potentia sibi conjuncta; atque ideo potest dici caput in potentia omnium hominum in statu viæ existentium, etsi peccatores vel infideles sint. Dixi hominum in statu viæ existentium, quia Christus nec actu nec potentia caput datorum dici potest: nam ut aliquis actu vel potentia sit membrum Christi, requiritur quodammodo uniatum vel uniti possit per fidem: Sed dantes nec habent fidem, nec illam habere possunt. Tractatu de Fide ostendimus: Ergo nec actu nec potentia, possunt dici membra Christi, nec Christus eorum caput. Addidi, in statu peccati, quæ apud Catholicos certum & indubitatum est, Christum actu esse caput omnium hominum existentium in gratia, quam vis eam sint amissuri, si peccati delinquant, si reprobantur: nam homo existens in gratia, est Christus unitus per fidem & charitatem, & recipit vitam supernaturalem ab illo. Sed nihil aliud ad rationem membri requiritur: Ergo Christus est caput omnium existentium in gratia, si peccati delinquant, si reprobantur, ut in Concilio Constantiensis sess. 15. contra Wiclefiam definitum est. Duo ergo solum vertuntur in controversiam, primum est, an Christus sit actu caput non solum iustorum, sed etiam omnium fidelium, qui in statu peccati mortalis existant? secundum, an possit etiam dici caput infidelium baptizatorum, vel hæreticorum, quorum hæresis est occulta?

§. I.

Utraque difficultas resolvitur.

Dico primo: Christus est actu caput fidelium, etiam in mortali existentium; non perfecte & simpliciter, sed imperfecte & secundum quid. Est contra Cardinalem à Turrecremata lib. 1. suæ Summæ cap. 8. ad 7. & contra Melechiorem Canum lib. 4. de locis Theologicis cap. ultimum ad 9. qui docent peccatores fideles esse quidem partes Ecclesiae, sed non Ecclesiae membra, nec per consequens Christi, qui est ipsius caput.

Nostra tamen conclusio est D. Thomæ hic art. 3. in corp. ubi ait: Christus est caput omnium hominum, sed secundum diversos gradus. Primo enim & principaliter est caput eorum qui actu uniantur sibi per gloriam, secundum eorum qui actu uniantur sibi per charitatem, tertio eorum, qui actu uniantur sibi per fidem. Ergo et D. Thomas habentes tantum fidem, actu sunt membra Christi, & per consequens Christus est actu caput fidelium etiam in mortali existentium.

Ratio etiam id suadet: Fideles enim, etsi in mortali existant, actu influxum Christi capitis participant, habent enim fidem ex meritis Christi: ergo Christus est actu caput illorum.

Confirmatur: Christus est actu caput omnium actu pertinentium ad ecclesiam: Sed omnes fideles, etiam illi qui in peccato mortali existunt, actu pertinent ad ecclesiam: ergo Christus est actu caput omnium fidelium, etiam in peccato mortali existentium. Major est certa, cum enim Christus sit caput ecclesiae (ut ostendimus articulo precedenti) actu est caput omnium ad ecclesiam pertinentium. Minor verò demonstratur à Theologo in Tractatu de Fide, potestque breviter suaderi. Primo ex Scriptura: nam Matth. 25. comparatur Ecclesia decem Virginitibus, quarum quinq; erant fatuæ, & sine oleo charitatis. Matth. 3. comparatur

tur aræ in qua simul cum tritico palea combu-
tenda inveniuntur. Et cap. 13. comparatur sage-
me missa in mare, in qua pisces boni & mali con-
gregantur. Ergo ad Ecclesiam actu pertinent om-
nes fideles, sive sint iusti, sive peccatores.

Secundò, Ecclesia definitur à Theologis, ex
Nicola Pontifice, *Collectio fidelium*: Sed per fi-
dem informem, actu constituitur homo sub hu-
iulmodi collectione: Ergo efficitur actuale
membrum Ecclesiæ.

Tertiò, Per id homo actu ponitur intra Ec-
clesiam, per quod actu unitur cum aliis Ecclesiæ
partibus, in aliquo uno credito, aut amato: Sed
per fidem, etsi informem, actu unitur in uno cre-
dito, cum aliis Ecclesiæ partibus: Ergo actu intra
Ecclesiam constituitur.

Quod autem fideles in mortali existentes, non
perfectè & simpliciter, sed imperfectè tantum &
secundum quid, sint membra Christi (ut in se-
cunda parte conclusionis asseritur) manifestum
est, quia existens in peccato mortali, est sim-
pliciter membrum diaboli: tum etiam quia ad
rationem membri perfecti, perfectæ unio cum
Christo requiritur, & perfectæ participatio vitæ
spiritualis: Sed fidelis in mortali existens, non u-
nitur Christo perfectè, nec perfectè ab illo spiri-
tuale vitam participat: Ergo non est perfectè
membrum Christi, sed imperfectè tantum & se-
cundum quid. Unde S. Thomas hic art. 3. ad 2.
loquens de his qui sunt in peccato mortali, dicit
quod non sunt membra Christi actualiter, sed potentia-
liter, nisi forte imperfectè, per fidem informem, quæ unit
Christum secundum quid, & non simpliciter, ut scilicet per
Christum homo consequatur vitam gratiæ, fides enim si-
ne operibus mortua est, ut dicitur Iacobi 2. Percipiunt ta-
men tales à Christo quendam actum vitæ, qui est credere,
sunt si membrum mortificatum moveatur aliquantulum ab
homine. Quibus verbis S. Doctor utramque no-
stræ conclusionis partem & docuit & probavit.

14. Dico secundò: Christus non est actu caput hæ-
reticorum licet baptizati sint, vel hæretici occul-
ti. Est contra Cajetanum tomo 1. opusculorum,
Tractatu 1. cap. 22. ubi docet characterem ba-
ptismalem sufficere ad constituendum hominem
membrum Christi & Ecclesiæ, & contra Bellar-
minum lib. 3. de Ecclesia militante, cap. 10. asse-
rentem hæreticum occultum ad Ecclesiam per-
tinere, subindeque membrum Christi existere.

15. Probatur tamen primò nostra conclusio ex
D. Thoma hic art. 3. in corpore, ubi recensens
eos quorum Christus est actu caput, illos ad tres
tantum classes reducit: nempe quod Christus pri-
mò & principaliter est caput eorum qui actu ununtur
sibi per gloriam, secundò eorum qui actu ununtur sibi per
charitatem, tertio eorum qui actu ununtur sibi per fidem.
Sed hæretici, licet sint baptizati, vel eorum hæ-
resis sit occulta, nullo ex his tribus modis Christo
ununtur, ut patet de primo & secundo modo, &
de tertio etiam manifestum est: hæretici enim,
licet sint baptizati, vel eorum hæresis sit occulta,
carent fide infusâ & supernaturali, & revera sunt
infideles: Ergo Christus non est actu illorum caput.

16. Probatur secundò: Ut Christus sit actu caput
aliquorum, debet aliquid in eos influere ad vi-
tam supernaturalem animæ pertinens: Sed Chri-
stus nihil ad vitam supernaturalem pertinens in-
fluit in hæreticos, etsi illi sint baptizati, aut eo-
rum hæresis sit occulta: Ergo non potest dici ac-
tu caput illorum: Major patet, nam de ratione
capitis non solum est superioritas, sed etiam in-
flatus vitalis in membra sibi conjuncta. Minor

A verò suadetur: Initium vitæ spiritualis animæ est
fides, ejus verò perfectio est charitas: Sed Chri-
stus nec fidem nec charitatem influit in hæreti-
cos, quamvis sint baptizati, & eorum hæresis sit
occulta: Ergo in eos nihil influit ad vitam super-
naturalem animæ pertinens, nullumque influ-
um vitalem in eos habet.

Probatur tertio: Christus non est caput actu
illorum qui sunt extra Ecclesiam: Sed hæretici,
etsi baptizati sint, aut eorum hæresis sit occulta,
sunt extra Ecclesiam: Ergo Christus non est actu
caput illorum, sed solum in potentia, quatenus
possunt converti, & per fidem ad Ecclesiam re-
dire. Major patet, Minor vero in qua est difficul-
tas, multipliciter suadetur. Primò ex Augustino
lib. de unitate Ecclesiæ cap. ultimo, ubi sic ait:
*Muli tales (scilicet hæretici) sunt in sacramentorum
communione cum Ecclesia, & tamen jam non sunt in Ec-
clesia.* Ergo hæretici, licet sint baptizati, aut eo-
rum hæresis sit occulta, non sunt de Ecclesia.

Secundò, Vera Ecclesia est congregatio verè
fidelium: Sed hæreticus, licet sit baptizatus, aut
ejus hæresis occulta, verè fidelis non est: Ergo
ad veram Ecclesiam non pertinet.

Tertiò, Hæreticus, licet sit baptizatus, vel e-
jus hæresis occulta, caret fide supernaturali &
infusâ, cum illa per hæresim destruitur: Sed ca-
rens fide, non est pars Ecclesiæ, nam fides est
fundamentum Ecclesiæ, ad Ephes. 2. *Super adifi-
cati supra fundamentum Apostolorum, id est supra il-
lorum fidem, Matth. 16. Super hanc petram adifica-
bo Ecclesiam meam, id est supra fidem Petri.* Ad Co-
los. 1. *Stamen permanetis in fide fundati:* Ergo hære-
ticus, licet sit baptizatus, vel ejus hæresis occul-
ta, non pertinet ad Ecclesiam.

Quartò, Omnis pars Ecclesiæ, sub illa ut una
continetur: Sed hæreticus, esto sit baptizatus, vel
ejus hæresis occulta, non pertinet ad Ecclesiam u-
nitatem: Ergo Ecclesiæ pars dici nequit. Major
patet, Minor probatur ex D. Thoma in 3. dist. 13.
quæst. 2. art. 2. quæstion. 2. in corpore, ubi docet
quod unitas Ecclesiæ triplex est: materialis scilicet,
quæ sumitur à fide, per convenientiam in u-
no credito; formalis, quæ præstat à charitate
per convenientiam in uno super omnia dilectio;
& completiva, desumpta à Spiritu Sancto om-
nia replente & complente: Sed hæreticus, licet
baptizatus sit, vel ejus hæresis occulta, ad nullam
ex his unitatibus pertinet, cum fide & charitate
careat, subindeque Spiritus Sanctus ejus ani-
mam non inhabitet: Ergo non est pars Ecclesiæ.

Denique, Non vivens vitâ supernaturali, sal-
tem imperfectâ, pars corporis vitâ supernaturali
viventis esse non potest; unde membrum mor-
tuum, pars corporis vivi non est, etsi talis appa-
reat: Sed hæreticus, etsi sit baptizatus, vel ejus hæ-
resis occulta, vitâ supernaturali, etiam imperfec-
tâ, non vivit, cum primò initium vitæ super-
naturalis sit fides: Ergo licet exterius pars corpo-
ris Ecclesiæ appareat, verè tamen pars Ec-
clesiæ non est.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijciunt primò contra primam conclusionem:
Christus non est actu caput eorum qui non
sunt partes, aut membra Ecclesiæ: Sed homo in
mortali existens, etsi fidelis sit, non pertinet ad
Ecclesiam, nec est pars aut membrum illius: Ergo
Christus non est actu caput illius. Major patet ex
suprà dictis, Minor verò probatur primò ex SS.
Partibus, qui passim affirmant peccatores non per-
tinere

tinere ad Ecclesiam, ita Cyprianus Epist. ad Magnum, Hieronymus ad Ephes. 7. explicans illud, *sine macula & ruga*, Augustinus lib. 1. contra Petilian. cap. ultimo, lib. 2. contra Cresconium cap. 21. lib. de unitate Ecclesiae cap. 12. lib. 4. de baptismo contra Donatistas cap. 3. & pluribus aliis in locis.

19 Secundo Ecclesia in Symbolo Apostolorum dicitur *sancta*, & Cantic. 4. *tota pulchra, & sine macula*: Sed si peccatores contineret, sancta dici non posset, nec tota pulchra, & sine macula: Ergo peccatores non pertinent ad Ecclesiam, nec ejus partes aut membra dici possunt.

20 Tertio, Peccatores sunt membra Babylonicae civitatis, cujus caput est diabolus: Ergo non sunt partes, aut membra civitatis Jerusalem, id est Ecclesiae, quae per Jerusalem typicè designatur. Consequentia patet, Antecedens probatur ex Augustino 14. de civit. Dei cap. 28. ubi docet quod sicut Amor Dei usque ad contemptum sui, edificat civitatem Jerusalem; ita amor sui usque ad contemptum Dei, edificat civitatem Babylonis: Sed fideles in mortali existentes, non diligunt Deum usque ad contemptum sui, sed seipsos usque ad contemptum Dei: Ergo non sunt cives Jerusalem, sed Babylonis.

21 Quarto, Ad rationem membri corporis vivi, non sufficit esse partem illius, sed insuper requiritur quod vivat vitā totius: nam capilli, ungues, sanguis, & humores, ex quibus humanum corpus componitur, etsi sint partes illius, & informantur ab anima, ut communiter docent Thomistae, non tamen sunt, nec vocantur humani corporis membra, quia nimirum non vivunt vitā sensitivā totius: Sed peccatores fideles non vivunt vitā gratiae, quā vivit Ecclesia: Ergo membra illius dici nequeunt.

22 Denique, Membra alicujus corporis nequeunt ad invicem esse contraria: Sed justī & peccatores inter se contrariantur; ut enim dicitur Ecclesiastice 33. *Contra malum bonum est, & contra mortem vita, sic & contra virum justum peccator*: Ergo peccator Ecclesiae membrum esse nequit.

23 Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, ad cujus primam probationem dicendum, SS. Patres citatos vel loqui de membris Ecclesiae vivis, & sic verum est solos justos ad Ecclesiam pertinere. Vel malorum nomine intelligere infideles. Vel denique loqui de Ecclesia, non ut est congregatio fidelium; qualiter omnes sive justos sive injustos complectitur, sed ut est congregatio justorum; quas duas Ecclesiae acceptiones tradidit Hieronymus in commentariis Epistolae ad Galatas.

24 Ad secundam dicendum, Ecclesiam dici sanctā, non quod omnia membra ex quibus constat sancta sint, sed ob puritatem fidei, seu immunitatem ab omni errore in doctrina quam profitetur; & quia est sanguine agni tincta & respersa, totaque divino cultui mancipata: denique sancta dicitur à principali parte, scilicet à sanctis ex quibus principaliter constituitur. Appellatur verò tota pulchra, & sine macula, non pro statu vitæ praesentis, sed beatitudinis, ut docet D. Thomas hic art. 3. ad 2. ubi sic ait: *Esse Ecclesiam gloriosam non habentem maculam, neque rugam, est ultimum finis ad quem perducimur per passionem Christi; unde hoc erit in statu patrie, non autem in statu viae, in quo si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, ut dicitur 1. Ioan. 1.*

25 Ad tertiam, concessa Antecedente, nego Con-

A sequentiam; nam secundū diversas rationes non potest aliquis diversarum civitatum esse maximè si ad unam simpliciter & perfecte pertineat, & ad alteram imperfectè & secundum quid, ut hic contingit: nam fidelis peccatore ratione culpae est membrum diaboli, & civis Babylonis, & hoc habet simpliciter; rationem fidei, est imperfectè ac secundum quid membrum Christi & Ecclesiae, accivis Jerusalem.

Ad quartam dicendum, de ratione membri perfecti esse quod vivat vitā vitā perfectā non sed ad rationem membri imperfecti sufficit quod vivat in vitā vitā imperfectā, & in potentia vitā perfectā totius: unde quia hoc convenit fidei in mortali existenti, membrum Ecclesiae imperfectum dici potest.

Ad ultimam respondeo, Majorem esse veram de membris corporis naturalis, falsam autem de membris corporis politici, ad hoc enim sufficit, quod in aliquibus conveniant, licet in aliis differant: unde ut fideles peccatores membra Ecclesiae dici possint, sufficit ut eam justis in toto conveniant, licet in charitate non concordent.

Objicies secundū eū Cajetanum contra hancdam conclusionem: character baptismalis sufficit ad constituendum membrum Christi & Ecclesiae: Sed infideles baptizati retinent characterem baptismi: Ergo sunt membra Christi & Ecclesiae, subindeque Christus est & illorum corpus. Major probatur: Recipiens influxum supernaturalem à Christo, est membrum Christi & Ecclesiae: Sed ratione characteris recipit hareticus influxum supernaturalem à Christo: Ergo ratione illius efficitur membrum Christi. Unde Innocentius III. cap. *Veniens de Presbytero non baptizato*, ait non solum per sacramentum fidei, sed etiam per fidem sacramenti, nos effici membra Christi.

Confirmatur: Retinens characterem baptismi puniatur ab Ecclesia propter infidelitatem: Sed pupiri ab Ecclesia non posset, nisi ex characteris baptismi esset membrum Christi & Ecclesiae; nam ad Ecclesiam de his quae extra ipsam sunt, non pertinet judicare, ut docet Apostolus ad Cor. 5. Ergo habens characterem baptismi, est membrum Christi & Ecclesiae, quamvis habitu fidei careat.

Ad objectionem respondeo, negando Majorem, ad cujus probationem, distinguo Majorem. Recipiens influxum supernaturalem à Christo, est membrum Christi & Ecclesiae, si talis influxus vitalis sit, & uniens Christo & Ecclesiae in aliquo uno credito vel amato, concedo Majorem. Si talis influxus illas conditiones non habeat, nego Majorem. Unde cum ratione characteris baptismalis hareticus non vivat supernaturaliter, nec uniatur aliis partibus Ecclesiae in aliquo uno credito vel amato, membrum Christi & Ecclesiae non fit. Et si hoc argumentum convinceret, probaret hareticos in inferno existentes, membra Christi & Ecclesiae esse, cum in inferno characterem baptismalem retineant; quod licet Cajetanus admittat, est tamen expresse contra D. Th. hic art. 3. afferentem reprobos ex hoc saeculo recedentes, totaliter desinere esse membra Christi.

Ad Innocentium dicendum, vel illum non esse propriam, sed ex aliorum loqui sententia, ut multis ostendit Aravius hic art. 3. Vel solum significare voluisse, per sacramentum baptismi nos effici membra Christi, sicut per ipsum dicitur spiritum liter generari: unde sicut ex hoc inferre non licet

baptismus sine gratia homines spiritualiter regenerare; ita nec licet colligere, charactere baptismi sine fide membrum Christi efficere.

32 Ad confirmationem verò, concessa Majori, nego minorem: nam ut aliquis ab Ecclesia puniatur, sufficit quod debitum habeat pertinendi ad Ecclesiam, & contra ipsam ut illius subditus deliquerit.

33 Obijcies tertio cum Bellarmino: Pontifex in occultam hæresim lapsus, adhuc est Ecclesiæ membrum: Sed Christus est actu caput omnium membrorum Ecclesiæ: Ergo est actu caput Pontificis in occultam hæresim lapsi, & consequenter etiam aliorum hæreticorum occultorum. Major in qua est difficultas probatur. Pontifex in occultam hæresim lapsus, non deponitur ipso facto à Pontificia dignitate, sed Ecclesiæ caput post hæresim perseverat, ut docent Cajetanus tomo 1. opusculi, Tract. 1. cap. 19 Soto in 4. dist. 22. qu. 2. art. 2. Cano lib. 4. de locis cap. ultimo, Suarez Tract. de fide disp. 10. sect. 6. & jam communiter Theologi: Ergo Pontifex in occultam hæresim lapsus, est Ecclesiastici corporis membrum.

34 Respondeo primò hoc argumentum posse in Bellarminum faciliè retorqueri, Authores enim docentes Papam hæreticum non deponi ipso facto à Pontificia dignitate, non solum id asserunt de hæresi occultâ, sed etiam de hæresi publica; & tamen Bellarminus hæreticum publicum extra Ecclesiam esse faretur.

35 Respondeo secundò, negando Majorem, ad cuius probationem, concessio Antecedente, nego Consequentiam: caput enim Ecclesiæ constituitur per jurisdictionem & influxum in alios; membrum autem per receptionem influxus in se, quo supernaturaliter vivat: unde quia Pontifex in occultam hæresim lapsus, adhuc retinet supra Ecclesiam jurisdictionem, veram rationem capitis Ecclesiæ retinet; quia tamen verè non vivit supernaturali vitâ charitatis, vel fidei, Christi & Ecclesiæ membrum dici non potest.

36 Dices: Repugnat esse caput alienius corporis, & non esse membrum illius, cum caput sit præcipuum corporis membrum: Ergo si Pontifex in occultam hæresim lapsus, adhuc sit caput Ecclesiæ, erit etiam membrum illius.

Respondeo hoc repugnare quidem respectu capitis physici & naturalis, non tamen respectu capitis morali & politici; ut patet in Christo, qui (ut articulo præcedenti dicebamus) est caput mysticum Ecclesiæ, & tamen non potest dici illius membrum. Ratio autem discriminis inter caput naturale & morale est, quia caput naturale non potest in alia membra influere, nisi informetur ab anima, & vitæ influxum ab ipsa recipiat: caput autem morale, & politicum, seu Ecclesiasticum, potest jurisdictionem & imperium erga membra Ecclesiæ exercere, quamvis à forma vel anima Ecclesiæ, id est fide & charitate, non informetur.

§. III.

Corollarium notatu dignum.

37 Ex dictis colligitur primò, Christum esse quidem caput omnium hominum, non tamen eodem modo, sed diversimodè, secundum diversos gradus & modos quibus ipsi ut gratiæ auctori conjunguntur. Primus est eorum qui per gloriam Christo conjunguntur, ut comprehensores in patria. Secunda, iustorum qui per charitatem viæ ei adherent, & quibus vitam gratiæ

A communicat. Tertius, eorum qui per solam fidem informem illi ut suo capiti uniuntur, quales sunt fideles in peccato mortali existentes. Quartus, eorum qui ei non conjunguntur actu, sed potestate tantum, ad actum tamen aliquando reducenda: quales sunt illi qui inter Gentiles prædestinati sunt, subindeque ad fidem & gratiam aliquando revocandi. Quintus, eorum qui in potentia tantum Christo uniuntur, ad actum tamen nunquam revocanda, sicut Pagani qui prædestinati non sunt. Et horum omnium Christus vocari potest caput, quia ei uniuntur, saltem in potentia; in quo distinguuntur à dānatis, qui cum penitentia & resipiscencia sunt incapaces, neque actu, neque potestate dici possunt membra Christi. Ita S. Thomas hic art. 3. in corpore. An verò Christus ut homo, non solum hominum, sed etiam Angelorum caput dici possit, articulo sequenti patebit.

Colligitur secundò, Christum esse caput non solum fidelium, qui post ejus adventum vixerunt, sed etiam antiquorum Patrum qui fuerunt in lege naturæ, vel in lege scripta; nam illi influxum gratiæ à Christo venturo receperunt, & fide Incarnationis Christi venturi justificati sunt. Nec obstat quod ante Christum fuerint; ut enim egregiè discit Augustinus: *Ejus Ecclesia membra erant etiam illi sancti, quamvis in hac vita fuerint antequam secundum carnem Christus Dominus nasceretur.* Ipse enim unigenitus Dei filius, Verbum Patris, æquale & coeternum Patri, per quod facta sunt omnia homo propter nos factus est, ut totius Ecclesiæ, tanquam totius corporis, caput esset. Sed sicut totus homo, dum nascitur, etiam si manum in nascendo præmittat, tamen universo corpori sub capite conjuncta & compacta est: quemadmodum etiam nonnulli ex ipsi Patriarchis, ad hujus ipsius rei signum, manu præmissa nati sunt: ita omnes sancti, qui ante Domini nostri Iesu Christi nativitatem in terris fuerunt, quamvis ante nati sint, tamen universo corpori, cuius ille caput est, sub capite cohererunt.

Colligitur tertio cum S. Thoma hic art. 2. Christum esse caput hominum, non solum quoad animas, sed etiam quantum ad corpora; nam in resurrectione influet in ea gloriam accidentalem, quatuor scilicet dores gloriosas, quas in Tractatu de beatitudine exposuimus, aliaque dona supernaturalia, ut docet Apostolus ad Philipp. 3. dicens quod Christus reformat corpus humanitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.

ARTICULUS III.

An Christus ut homo, non solum hominum, sed etiam Angelorum caput dici possit?

Præter negantem tenent Gabriel, Altiſio-
dorensis, & alii antiqui Theologi, quas refert Vazquez hic disp. 48. cap. 3. & sequitur Soto in 4. dist. 49. quæst. 7. art. 2. Sententia tamen affirmans communis est inter Theologos, eamque adeò certam existimant Lorca & Vazquez, ut primus asserat eam sine temeritate negari non posse; secundus verò dicat, de illa jam amplius dubitari non licere.

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur: Christus, in quantum homo, est caput Angelorum, licet non ita perfecte sicut hominum. Ita D. Thomas in 3. dist. 13. quæst. 2. art. 2. quæst. 1. in corp. ubi ait in terminis, quod Christus ut homo est caput Angelorum.

rum, quamvis non ita propriè, nec eodem modo, sicut hominum.

41 Prima pars huius conclusionis apertissimè ex Scriptura colligitur, ait enim Apostolus ad Coloss. 2. Christum esse caput omnis Principatus & Potestatis; loquitur verò de Christo ut homo est, dicit enim, *In Christo habitat omni plenitudo divinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, qui est caput omni principatus & Potestatis.* Manifestum est autem, quod plenitudo divinitatis non habitat in Christo, secundum divinam naturam, sed secundum humanam; unde & subdit Apostolus: *In quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum à mortuis.* Resurrectio autem solum convenit Christo ut homo est; Ergo &c.

42 Probatur secundò eadem pars ratione S. Doctoris hic art. 4. Unius corporis unum caput esse oportet, ut ex naturalibus & politicis constat: Sed Ecclesia prout ex Angelis & hominibus constituitur, est unum corpus mysticum, unaque spiritualis civitas, una Jerusalem, & Christus inquantum homo, est caput hominum, ut ex supra dictis patet: Ergo pariter inquantum homo est caput Angelorum. Minor in qua est difficultas ostenditur primò ex parabola de pastore & ovibus Luca 15. in qua asseritur unum esse ovile ad quod pertinent nonaginta novem oves relictæ in deserto, quibus significatur Angelorum multitudo, & ovis perdita quam Pastor quærebat, scilicet genus humanum.

43 Secundò ratione: Ecclesia ut ex Angelis & hominibus constituta, facit multitudinem secundum diversos actus & diversa officia ordinatam in unum finem, qui est possessio æternæ gloriæ; ad eam quippe ordinantur, & secundum varia officia laborant Angeli & homines: Ergo facit unum corpus mysticum. Consequentia patet, nam dicitur unum corpus multitudo ordinata in unum finem, secundum diversos actus & diversa officia, ut constat in omni corpore politico.

44 Confirmatur: Forma constitutiva Ecclesiæ, scilicet lumen gloriæ in patria, & in statu viæ fides, una est in Angelis & hominibus: Sed ubi est una forma constituens, unum est constitutum: Ergo una est Ecclesia prout ex Angelis & hominibus constat.

45 Probatur tertio eadem pars: Christus ut homo habet non solum in ordine ad homines, sed etiam per respectum ad Angelos, quidquid requiritur ad rationem capitis mystici: Ergo est caput non solum hominum, sed etiam Angelorum. Consequentia patet, probatur Antecedens. Ad rationem capitis, tam naturalis, quam politici, tria solum requiruntur; nimirum quod sit prius seu superius ad ea quorum dicitur caput, quod ea excedat in perfectione, & quod habeat vim influendi in illa per ordinem ad unum eorum finem. Sed Christus ut homo habet illa tria, per respectum non solum ad homines, sed etiam ad Angelos: Ergo habet quidquid requiritur ad rationem capitis mystici illorum. Minor probatur, & in primis cum ratione unionis hypostaticæ, humanitas Christi propinquius se habeat ad Deum, perfectiusque participet dona ejus, quam Angeli, manifestum est, quod habet inquantum homo respectu eorum duas priores condiciones requisitas ad rationem capitis, nempe esse superius & perfectius.

46 Quoad tertium verò, nempe rationem influentis in unum finem, eum non deesse Christo ut

A homini, etiam per respectum ad Angelos, inde manifestè deducitur, quod de influentia humanitatis Christi in ordine ad gloriam, non solum homines, sed etiam Angeli accipiant; merentur enim Christus Angelis gloriam, si non essentalem, sicut hominibus, de quo articulo sequitur saltem accidentalem, nempe gaudium illud quod percipiunt ex reparatione sedium suorum in felicitate æterna, à Lucifero & aliis Angelis apostatis desertarum. Plura etiam gratiam charismata Angelis Christus communicat per eos illuminando, & plura supernaturalia mysteria revelando. Unde docet Dionysius cap. 7. celestis Hierarchia, in Ascensione Dominici Angelos fuisse à Christo illuminatos de mysterio Incarnationis, quod antea valde confuse cognoscebant, cum illi interrogationi ab Angelis hæc satisfecit: *Quis est iste qui venit de Edom, in cinis vestitus de Bosra?* Christus respondit: *Ego qui loquor prophetiam, & propugnator sum ad salvandum.* Verba Dionysii sunt ista: *Hoc igitur manifestè declarat, Theologos inferiores substantiarum celestium Ordines, à sublimioribus, ut consentanea ratio postulat, deificarum operationum scientias per doceri: quæ autem supra omnes erant, ab ipsa Principe Divinitate, quantum facit, illustrationibus initiari.* Etenim nonnullas illarum rerum, à superioribus discientes, Dominum illum esse, celestium Veritatem, & Regem gloriæ, qui, ut hominem decebat, in illum assumptus est; alias verò se ipsum ipsum per omnia, & divina pro nobis operationis scientiam discere cupientes: quas ipsemet Iesus per se, nullo interposito, sanctorum imbuit; & primaria communicatione linguæ suæ in homines efficientia notitiam imperit. Idem probat D. Hieronymus super cap. 3. ad Ephesios illis verbis Apostoli: *Ut innoscat principatum potestatis in celestibus per Ecclesiam multisimam sapientia Dei.* Quod ideo dictum putat, quia per caput Ecclesiæ, scilicet per Christum, & eum per Apostolos, illuminati sunt Angeli, ut plura gratiæ mysteria cognoscerent, quæ antea valde confuse & obscure cognoscebant.

D Dices: præter tres illas condiciones, ad rationem capitis quartam requiri, nempe convenientiam in natura, quæ non convenit Christo homini respectu Angelorum, subindeque ipsum non posse propriè dici illorum caput.

Hoc est præcipuum ad vertè sententiæ fundamentum, quod facile convelli potest: Primò quia ex hoc sequeretur, Christum ut Deum non esse Angelorum caput, quod tamen adversari non admittunt. Sequela patet, nam Christus inquantum Deus, plus distat à natura angelicâ, quam inquantum homo.

Secundò, ad rationem capitis sufficit convenientia generica inter caput & membra in seipsis, & convenientia specifica illorum quatenus ordinantur ad finem: Sed Christus ut homo & Angeli in seipsis conveniunt genericè, & in ordine ad finem conveniunt specificè; gratia enim & gloria hominum, sunt ejusdem speciei cum gratia & gloria Angelorum: Ergo ex defectu convenientiæ in natura, non est neganda Christo ratio capitis respectu angelorum.

Ex his probata manet secunda conclusio pars: nam Christus ut homo non est ita perfectè conformis in natura cum Angelis ac cum hominibus. Item influxus interior in Angelos, non est ita perfectus sicut in homines, cum in Angelos non influat gratiam & gloriam essentialem, sicut in homines, ut ostendimus articulo sequenti. Ergo Christus non est ita propriè & perfectè

sed et caput Angelorum sicuti hominum.
Dices, Ex priori ratione sequi Christum in-
quantum Deum non ita perfectum esse caput Ec-
clesiæ, sicut in quantum hominem, cum non ita
perfectum conveniat cum illa secundum Deita-
tem, sicut convenit secundum humanitatem,
quod videtur absurdum.

Respondetur verum esse quod ex hac parte
Christus ut homo excedit, & perfectiori modo
habet rationem capitis; ceterum excessus iste re-
solvitur ex aliis, præsertim ex perfectiori modo
influenti ratione divinitatis, scilicet authoritati-
ve & principiter, cum ratione humanitatis
ministerialiter tantum & instrumentaliter, gra-
tiam & gloriam in homines infundat.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijciens primò: D. Chrysostomus homil. i.
in Epist. ad Ephes. explicans illud Apostoli:
in dispensationem plenitudinis temporum instaurare o-
mnia in Christo, sic habet: *Angeli autem dedit princi-*
pium & hominibus; in quidem id quod est secundum
carne, illis autem Verbum. Quorum verborum
non alius sensus esse potest, nisi quod Christus
secundum carnem, sive in quantum homo, est
principium sive caput hominum; secundum ve-
ro quod Deus, est principium sive caput Ange-
lorum: Ergo censet D. Chrysostomus, Christum
non ut hominem, sed solum ut Deum, esse caput
Angelorum.

Respondetur intentum D. Chrysostomi loco
citato, non esse quod Christus ut homo non sit
caput Angelorum, immèdiate enim ante verba
citata id asseruit, dicendo quod Deus unum o-
mnibus posuit caput secundum carnem, nempe
Christum, & angelis & hominibus; sed solum
quod licet Christus, in quantum homo, sit caput
utriusque nature & angelicæ & humanæ, non
tamen ita propriè per suam humanitatem, quàm
per suam divinitatem, exercet officium capitis;
respectu Angelorum, benè tamen respectu ho-
minum; quia ut homo non causat in Angelis, si-
cut in hominibus, gratiam & gloriam essentia-
lem, sed duntaxat accidentalem, ut ostendimus
in articulo sequenti.

Obijciens secundò: Illorum duntaxat Christus
est caput mysticum, in quos habet influere ea do-
na, quibus membra Ecclesiæ vel triumphantis
vel militantis constituuntur: Sed ut homo non
influit in angelos ejusmodi dona: Ergo ut homo
non est illorum caput. Minor inde colligitur
quod forma constitutiva membri Ecclesiæ mi-
litantis, sit fides secundum suam substantiam
considerata, triumphantis verò sit visio beatifi-
cæ etiam substantialiter sumpta: Christus autem
ut homo non influit in angelos neque fidem
neque visionem beatificam substantialiter con-
sideratam, ut constabit ex dicendis articulo seq.
sed solum aliqua earum accidentia. Major verò
probat: Ut Christus sit caput mysticum alicui-
us, non sufficit quod influit in ipsum quodcum-
que donum supernaturale, alias enim esset actus
caput in illud, subindeque infideles ipsi actu
essetent membra Ecclesiæ; quandoquidem il-
lustrationes, & inspirationes, aliasque ejusmodi
gratias cum infidelitate composibiles, à Christo
ut homine recipiunt: Ergo requiritur, ad hoc ut
Christus in quantum homo dicatur caput alicui-
us, quod influit in illum formam constitui-
vam membri corporis quod est Ecclesiæ.

Tom. IV.

A Respondetur negando Majorem, non enim est
de ratione capitis mystici, imò nec naturalis,
quod influit in membra formam substantialem
membris, sed sufficit quod habeat alium in ea in-
fluxum, ut patet in corpore nostro: caput siqui-
dem non influit in alia membra animam ratio-
nalem, ea substantialiter constituentem in ratio-
ne membri, sed solum motum interiore ad ex-
ercendas uniuscujusque functiones necessarium.
Ad probationem autem Majoris negatur, dico
quod si ille in quem Christus actu influit aliquid
donum, quodcumque illud sit, existat actu uni-
tus aliis membris Ecclesiæ sicuti univertus de fa-
cto Angeli, mediante gloriâ & gratiâ habituali,
Christus est actu illius caput: infideles autem,
licet inspirationes ex influxu Christi recipiant,
non tamen actu, sed solum in potentia, sunt uni-
ti membris Ecclesiæ, quia initium talis unionis
actualis est à fide, non verò ab auxiliis anteceden-
tibus fidem, utpote disponentibus solum ad
ejusmodi unionem.

Instabis tamen: Christus ut homo nullam ha-
bet influxum, etiam quoad gratiam & gloriam
accidentalem, in angelos: Ergo non est eorum
caput. Probatur antecedens: illud solum Christus
ut homo influit in alios, quod ipsis meruit: Sed
non meruit angelis gratiam & gloriam, etiam
accidentalem; alias enim cum omne Christi me-
ritum fuerit consummatum ipsius morte, posset
dici Christus aliquid meruisse angelis suâ morte,
subindeque pro ipsis mortuus: Ergo &c.

Respondetur negando Antecedens, ad cujus
probationem dico quod licet ex eo quod meri-
tum Christi fuerit ipsius morte consummatum,
sequatur in nostra doctrina, quod Christus suâ
morte meruerit angelis gratiam & gloriam acci-
dentalem, non tamen quod pro ipsis dici possit
mortuus; alias enim cum idem Christus suâ mor-
te similiter meruerit sibi gloriam sui corporis, &
exaltationem proprii nominis, ut colligunt com-
muniter Theologi ex illo Lucæ 24. *Nonne hæc o-*
portuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?
Et ex illo Philipp. 2. *Factus est obediens usque ad*
mortem propter quod Deus exaltavit illum &c. Chri-
stus dici posset pro se mortuus, quod tamen
damnatum est in Ephesino can. 10. Licet itaque
Christus suâ morte meruerit angelis gratiam
& gloriam accidentalem, non tamen sequitur
inde quod possit dici pro eis mortuus. Et ratio
est, quia mors Christi non fuit decreta per se pri-
mò ex occasione & motivo merendi angelis ta-
lia dona, sed tantum secundariò & quasi per ac-
cidents, primariò enim voluit fuisse duntaxat pro-
pter redemptionem hominis.

Obijciens tertio: Caput convenire debet in na-
tura cum membris: Sed Christus, in quantum ho-
mo in natura cum angelis non convenit sed spe-
cie differt ab illis: Ergo in quantum homo non
est ipsorum caput.

Huic argumento patet solutio ex suprâ dictis:
respondetur enim quod licet caput naturale de-
beat in natura specifica cum membris conveni-
re; ad rationem tamen capitis moralis, seu mysti-
ci, sufficit convenientia generica in natura; alio-
quin (ut suprâ dicebamus) Deus, sive Christus ut
Verbum Dei, non esset caput mysticum Ange-
lorum & hominum: licet autem Christus ut ho-
mo non sit ejusdem naturæ specificæ cum Ange-
lis, bene tamen ejusdem naturæ genericæ, quia
convenit in gradu intellectuali cum ipsis.

Addo quod, in ordine supernaturali angelos

Cccc 2

&

& Christus ut homo sunt quodammodo ejusdem etiam specie naturæ, in quantum scilicet habent eandem specie participationem divinæ naturæ, in gratia habituali consistentem.

Obijcies quartò: Christus in quantum homo eorum tantum est caput, quorum est sponsus: Sed in quantum homo non est sponsus Angelorum, ut docet D. Thomas in 4. dist. 49. quæst. 4. art. 4. Ergo in quantum homo caput Angelorum non est.

60 Respondeo negando Majorem, nam inter sponsum & sponsam requiritur ætoma convenientia in natura, ut ait S. Doctor loco citato: inter caput autem mysticum & membra, tanta convenientia non requiritur, sed sufficit convenientia generica in natura, ut in solutione præcedentis objectionis dicebamus.

61 Obiter tamen observandum est, quod licet Christus ut homo non dicatur sponsus Angelorum ita propriè ut dicitur illorum caput, aliquantulum tamen sponsus illorum dicitur, ut docet D. Bernardus serm. 27. in Cantica, his verbis: *Cum haberet sponsam inherens sibi a principii multitudinem Angelorum, placuit ei & de hominibus convocare Ecclesiam, atque unire illi quæ de cælo est, ut sit sponsa una & sponsus unus.* Nec dissentit S. Thomas loco citato, nam ibidem in responsione ad 3, ita concludit: *Et sic convenientia quæ est inter Deum & Angelos, magis sufficit ad rationem capitis, quam ad rationem sponsi.* Quibus verbis satis indicat ad utrumque aliquam rationem sufficere.

§. III.

Duo corollaria notatu digna.

62 EX dictis hæcenus collige, Christum ut hominem, fuisse caput morale primorum parentum, non tantum post eorum lapsum, sed etiam in statu ipsorum innocentia: nam Christus influxit moraliter in primos parentes adhuc innocentia, sicut in Angelos, aliquam gratiam accidentalem, nimirum fidem in ipsum venturum, non quidem ut redemptorem, sed ut in consummatorem gloriæ, ut articulo sequenti §. 5. dicemus.

63 Colliges secundo contra Catharinum, Suarezem, aliosque Recentiores, Christum ut hominem, non esse propriè caput creaturarum irrationalium. Nam ut antea dicebamus, de ratione capitis est ut aliquid in membra influat: Sed Christus, in quantum homo, nihil influat in creaturas irracionales; Ergo non est illarum caput. Major patet, Minor probatur. Id quod Christus in quantum homo in membra sua influat, vel debet esse donum gratiæ, vel ad ordinem supernaturalem pertinere; alioquin à Deo quidem ut auctore naturæ, & consequenter ab ipso, Christo ut est Deus oritur, non autem à Christo ut homine; unde Augustinus Epist. 113. *Meruit nobis Christus ut iusti essemus, non ut homines vel liberi essemus.* Quasi diceret, Christum dona quidem supernaturalia meruisse, non autem ea quæ ad ordinem naturalem pertinent: Sed omnia dona quæ creaturis irrationalibus communicantur, pertinent ad ordinem naturæ; Ergo illa à Christo ut capite non procedunt, nec ex meritis ejus conferuntur, sed à Deo ut auctore naturæ communicantur, subindeque Christus non est propriè caput creaturarum irrationalium.

64 Nec obstat quod objicit Suarez ex D. Paulo ad Coloss. 1. ubi Christus dicitur *Primogenitus om-*

nis creatura. Hoc enim de Christo dicitur, ut effluat Dei, in natura increata subsistens, ut patet ex textum illum perlegendi. Veleiam dicitur *Primogenitus* omnis creaturæ, id est hominis, qui homo in Sacra Scriptura interdum vocatur *primus creatura*, ut patet ex illo Marci ultimo: *Præbete Evangelium omni creaturæ.* Vel benigne dici potest *primogenitus* omnis creaturæ, in quantum homo, quia sub hac ratione est finis omnium creaturarum, ut alibi exposuimus.

ARTICULUS IV.

B *An Christus ut homo, ita sit caput Angelorum, quod ipsis gratiam & gloriam, etiam essentiali meruerit?*

Duplex est Angelorum gratia & gloria: una essentialis, & altera accidentalis. Gratia essentialis Angelorum est sicut in nobis, gratia habitualis, quæ dicitur formalis participatio naturæ divinæ. Accidentaliter verò est illuminatio eorum intellectus de rebus ad nostram redemptorem pertinentibus, atque adeo de mysterio incarnationis Dei, quæ idcirco in illis fit, ut cooperentur Deo tanquam ejus ministri in negotiis salutis humanæ. Similiter gloria essentialis in Angelis est sicut in hominibus visio beata & intuitiva divinæ essentialis: accidentaliter verò est gradum illud quod de rebus à se gestis in ministerio nostræ salutis percipiunt. Hoc præmissis.

Certum est apud omnes nobiscum admittere, Christum ut hominem esse caput Angelorum, gratiam & gloriam accidentalem dependentem ab ejus merito & influxu fuisse ipsis collatam: ad caput siquidem politicum Angelorum pertinet, ipsos in ministerium nostræ salutis ordinare, illuminare & dirigere, subindeque & esse causam, saltem moraliter, talis illustrationis, nec non cooperationis ad eam sequentis, & ejus mercedis. Unde solum restat difficultas, an Christus ut homo gratiam & gloriam essentiali in Angelos influat, eamque ipsis meruerit?

In cujus difficultatis resolutione tres inventi sunt Authorum sententias, duas extremas, & aliam mediam. Prima affirmat absolute Christum ut hominem, ita esse caput Angelorum, ut ipsis gratiam & gloriam etiam essentiali meruerit. Secunda id absolute negat. Tertia utramque concludere volens, docet Deum ab æterno habuisse nostrum modo intelligendi duo decreta circa gratiam & gloriam essentiali Angelis conferendam; unum antecedens prævisionem Christi, & aliud eam subsequens; priorique decreto voluisse Deum gratiam & gloriam illam tribuere Angelis ex mera sui liberalitate, & omnino independentem à merito Christi, utpote nondum prævisi: deinceps tamen secundo alio decreto, & posteriori ad prævisionem Christi, statuisse ut eadem gratia & gloria, quas prius ex sola sui liberalitate Angelis conferre decreverat, darentur etiam propter Christi meritum. Primam sententiam tenent Catharinus, Galatinus, Cabrens, Suarez, Valentia, & ex recentioribus Thomistis illustrissimus Dominus Godoy, Episcopus Orensenis. Secundæ adhærent Medina, Nazarius Alvarez, Joannes à S. Thoma, & extra Scholam D. Thomæ Vazquez & Delugo. Tertiæ vero præceter Vincentio Asturicensi, & Cipullo.

§ I.

Secunda sententia ut verior & probabilior eligitur,
& ex Scriptura probatur.

Deo igitur Christus ut homo, ita est caput Angelorum, ut ipsis tamen gratiam & gloriam essentialem nullo modo meruerit, sed solum accidentalem.

Probatum primo conclusio triplici Scripturae testimonio. Primum habetur Lucæ secundo, ubi Angelus Pastores alloquens post Christi nativitatem, gaudulundus dicebat: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator: hunc enim verbis laetis indicat, Christum solis hominibus natum esse; alioquin tanti beneficii non indigebat ex matre. Non Angelus quoque, quicum magnam haberent, parvulum non requirebant. Nobis ergo natus, nobis est datus, quia nobis necessarius. Iam de nobis nato & dato facimus ad quod datus est & natus. Nam nostrum in nostram utilitatem. De Salvatore salutem operemur. Similia habet Guericus Abbas sermone tertio de Nativitate Domini, ubi tradens etiam illud, Puer natus est nobis: Nobis prope inquit non enim sibi, non Angelis. Sibi, inquam, natus non est, ut scilicet hac nativitate esse, aut melius esse inciperet, qui antequam temporaliter nasceretur, aeternaliter erat, & perfectus beatitudinis sibi erat, quia de Deo perfectus, Deus perfectus natus erat. Angelus natus non est, quia nec Angelus ille qui in veritate stabat, reparari indigebat, nec illius qui ceciderat casus reparabilis erat. Ideo nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abraham apprehendit; & qui Deus natus erat sibi, puer natus est nobis, se quodammodo relinquit, & Angelos transiit, ut ad nos usque deveniens, unus fieret et nobis, & eternitatis semetipso, minoratus ab Angelis, aequalis fieret nobis. Qui igitur aeternaliter sibi & Angelis erat beatitudo, natus temporaliter, factus est nobis redemptio.*

Secundum testimonium habetur Matthæi decimo octavo, & Lucæ decimo quinto, ubi Christus parabolam inducit pastoris, qui nonaginta novem oves in deserto reliquerat, ut centesimam quæ perierat, salvam faceret: communis enim Patrum interpretatio in hac locum est, per nonaginta novem oves in deserto relictas, significari novem Angelorum choros, quos Christus verus & bonus Pastor, in cælo quodam modo deseruit, dum è sinu Patris in uterum beatæ Virginis descendit, ut ovem centesimam, quæ hominem designat, à patria aberrantem, & peccato perditum quæreret, & sanguine proprio salvum faceret. Ita hanc parabolam explicant Divus Ambrosius libro septimo in Lucam, capite de ove centesima. Divus Gregorius homilia trigesima quarta in Evang. & Venerabilis Beda in illud Lucæ decimo quinto, *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, &c.*

Tertius locus sumitur ex capite secundo Epistolæ ad Hebræos, ubi Apostolus loquens de excellentia Christi supra Angelos, sic habet: *Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur ex uno omnes: propter quam causam non confunditur eos vocare fratres, dicens, nuntiabo nomen tuum fratribus meis, & iterum: Ecce ego & pueri mei quos dedisti mihi Deus. Quia ergo*

A pueri, communicaverunt carni & sanguini, & ipsi similiter participavit eisdem. Ex quibus verbis sic formatur argumentum: Omnes qui sanctificantur à Christo, atque adeo quibus ipse meruit gratiam sanctificantem, quæ est gratia essentialis, vocantur pueri & fratres Christi: Sed Angeli non possunt pueri & fratres Christi appellari: Ergo illis non meruit gratiam sanctificantem, si ve essentialem. Major est propositio Apostoli, dicit enim quod qui sanctificantur & qui sanctificantur, sunt omnes ex uno, & quod propter hanc causam, non confunditur eos fratres vocare, & quod eos vocat pueros suos. Minor verò probatur: Illi dicuntur ab Apostolo pueri, & fratres Christi, qui communicaverunt carni & sanguini: Sed Angeli non communicaverunt carni & sanguini, utpote spiritus puri: Ergo vocari nequeunt pueri & fratres Christi.

Respondent Suarez, & Cabrera, duplicem esse sanctificationem, si ve gratiam essentialem: unam quæ non tantum sanctificat, sed etiam redimit à peccato; alteram quæ licet reddat sanctum, non tamen liberat à peccato, eò quod in subiecto suo illud non repetat: Apostolum autem loco citato non loqui de utraque illa sanctificatione, sed duntaxat de illa quæ redimitur à peccato is qui sanctificatur, subindeque nihil amplius ex illo testimonio concludi, quàm quod Christus non meruerit Angelis gratiam essentialem, quæ eos sicut homines liberaret à peccato.

Sed contra: Idem Apostolus loco citato loquitur solum de sanctificatione liberativa à peccato, quia nullam aliam agnoscebat, cujus causa fuisset meritum Christi: si enim aliam agnovisset, valde processisset diminutè in eo quod præcipue intendebat, nempe excellentiam Christi supra Angelos describere; eam enim amplius & maxime commendare potuisset Hebræis, ex eo quod suo merito, non tantum redemptos, si ve homines, sed etiam non redemptos, si ve Angelos, sanctificasset.

§. II.

Testimonia Divi Thomæ.

Proest etiam probari conclusio ex Divi Thomæ, qui variis in locis aperte favet nostræ sententiæ: nam quæst. 29. de verit. art. 7. ad 5. sic ait: *Sicut mereri est viatoris, ita non nisi pro viatore aliquis potest mereri, quia oportet ut ei pro quo quis meretur, aliquid desit eorum quæ sub merito cadunt: Angeli autem non sunt viatores, quantum ad premium essentiali, & ideo quantum ad hoc nihil eis meruit Christus: sunt autem aliquo modo viatores, respectu premij accidentali, in quantum nobis ministrant, ad quod valet eis meritum Christi. Et in 2. sent. dist. 9. quæstione prima, articulo octavo ad secundum docet operationem hominis efficaciorē esse ad merendam vitam æternam, quàm sit operatio Angelis; & inter alias rationes pro hac veritate, istam affert, quia operatio hominis fundatur in merito Christi, non verò operatio Angelis; atque adeo censet Christum non meruisse Angelis vitam æternam. Item in 3. dist. 13. quæstione prima, articulo secundo, quæstionem, 2. loquens de Christo ait, quod non insluit Angelis removendo prohibens, scilicet peccatum, aut merendo gratiam. Denique in hac parte infra quæstione 59. articulo 6. in corp. & in resp. ad 1. concedit quidem iudicio Dei, negat tamen iudicio Christi ut hominis, Angelos subijci, quantum*

ad primum essentiale, & damnationem eternam. Que doctrina verificari non potest, si Christus Angelis meruit primum essentiale: si enim antiqui Patres, licet ante incarnationem iustificati, eo ipso tamen quod ex meritis Christi iustitiam suam habuerunt, subsunt iudicio Christi humano in fine mundi futuri; quare ad Christum ut hominem non pertinebit iudicare Angelos in extremo iudicio de merito essentiali, & premio illi correspondente, si tale primum ex meritis & gratia Christi consecuti sunt?

§. III.

Eadem veritas ratione funditur.

74 **P**lures adduci solent rationes in eiusdem veritate confirmationem. Prima & præcipua sumitur ex principiis supra disp. 3. art. 1. statutis, agendo de motivo incarnationis, potestque sic breviter proponi. Decretum de conferenda gratia & gloria ex meritis Christi, dependet ex prævisione peccati Adami; saltem in genere causa materialis & occasionalis. Sed decretum de conferenda gratia & gloria essentiali Angelis, non dependet ex prævisione peccati Adami: Ergo decretum illud non innuitur præsentie meritorum Christi, nec ab illa dependet, subindeque gratia & gloria essentialis Angelis collata, non est ex meritis Christi, sed ex mera & gratuita liberalitate Dei. Major probatur: Christus & eius incarnatio decreta fuerunt dependenter à prævisione peccati Adami, ita ut illo non peccante Filius Dei non venisset, ut loco citato fuit cum S. Doctore ostendimus. Ergo gratia & gloria ex meritis Christi conferenda, non potest etiam non dependere à prævisione peccati. Minor autem, in qua est difficultas, probatur primo. Cum Adamus ex suggestionem mali Angeli jam damni nati, lapsus fuerit, deus priusquam statueret permittere peccatum primi parentis nostri, ac proinde priusquam illud præsciret, debuit habere voluntatem permitendi lapsum primi Angeli, subindeque & voluntatem efficacem conservandi bonos Angelos in gratia, eosque consequenter remunerandi gloria essentiali, aliàs reprobatio malorum Angelorum esset prior prædestinatione bonorum, quod tamen omnes negant: Ergo similiter, imò à fortiori, priusquam Deus decerneret permittere peccatum Adami, illudque præsciret, voluit conferre Angelis gratiam & gloriam essentialem.

Secundo probatur eadem Minor principalis: Gratia quæ est dependens ex prævisione peccati, est gratia sanans & redimens; ut de se patet: Sed gratia collata Angelis non est huiusmodi, ut enim dicitur Matth. 9. *Non est opus valentibus medicis, sed his qui male habent*: Ergo gratia collata Angelis non est dependens ex prævisione peccati Adami, nec per consequens ex meritis Christi venturi, sed ex mera liberalitate Dei.

75 **S**ecunda ratio: Omne meritum Christi pro his quos sanctificavit, ita fuit passione & morte sua consummatum, ut nemo per Christum sanctificatus sit, nisi pro eo Christus passus & mortuus sit, unde quicunque excluditur à sanguine & morte Christi, etiam ab eius merito & sanctificatione excluditur: Sed Angeli à sanguine & morte Christi excluduntur: Ergo & ab eius sanctificatione & merito. Minor est certa, & passim docetur à SS. Patribus: Augustinus enim in En-

A chiridio cap. 61. sic ait: *Proprio F. illa sua non perierit, sed pro omnibus tradidit illum*: non enim pro Angelis mortuus est Christus. Bernardus sermone in festum quartam hebdomadae sanctæ: *Passio hominis dicitur, quia alteri dari non potuit: nunquid Angelis? Sed ille non eguit? Nunquid diabolus? Sed ille non resistit? Gregorius lib. vigesimo octavo moralium cap. 6. Incarnationis mysterium & ipsi Angeli elati mirantur, qui eodem mysterio redempti non sunt. Id enim evidenter convincitur ex illa consequentia quæ facit Apostolus secundo ad Corinthios quædam: *Vnus pro omnibus mortuus est*: ergo omnes mortui sunt, scilicet per peccatum: Sed Angeli boni & electi, nunquam fuerunt mortui per peccatum: Ergo nullo modo potest dici quod pro illis Christus mortuus sit.*

Major autem in qua est difficultas probatur ex illo Apostoli ad Hebræos decimo. *Unæ ratione consummavit in sempiternum sanctificationem*. Quibus verbis aperte declarat, quod quicunque sanctificati sunt, illa una oblatione qua Christus ara crucis seipsum in satisfactionem pro peccatis obtulit, gratiam & sanctificationem obtinuerunt, subindeque quod omne Christi meritum pro his quos sanctificavit, passione & morte sua consummatum fuit. Ratio etiam id innotescit convenientissimam est, ut omne Christi meritum pro his quos sanctificavit, in perfecta oblatione eius opere completum & consummatum sit. Sed Christi passio & mors fuit opus Christi perfectissimum, & præstantissimum, quia in eo completum est totum pondus charitatis ipsius, juxta illud Apostoli ad Romanos 3. *Commendat enim charitatem suam Deus in nobis, quia cum peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*. Quæ verba interpretans Divus Thomas, subdit: *In hoc quod dicit commendat, immensitatem quandam divinæ charitatis designat*: Ergo omne Christi meritum pro his quos sanctificavit, passione & morte sua consummatum est.

Confirmatur: In his quæ Christus pro seipso meruit, consummavit meritum suum per passionem & mortem, juxta illud Lucæ 24. *Nonne scriptum erat de Christo, & ita intrare in gloriam suam*. Et ad Philippenses secundo. *Factus obediens, qui ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum*. Ergo à fortiori omne Christi meritum pro his quos sanctificavit, passione & morte sua consummatum est. Unde commentum ac temerarium videtur quod ait Suarez, nempe Christi merita pro hominibus, non nisi per mortem & passionem suam consummata fuisse, pro Angelis vero ante mortem & sanguinis effusionem, subindeque actibus passionem antecedentibus, gratiam & beatitudinem ipsis promississe: cum enim hoc ex mera Dei voluntate dependeat, iudicare de illo absque revelatione Ecclesiæ, aut urgentissima ratione, temeritate non vacat; præsertim cum Apostolus offerat, Christum unâ oblatione. *Cid est morte & passione sua* consummasse in semetipsum sancti fieri.

76 **T**ertia ratio: Nullus iustificatus per meritum Christi, est glorificatus ante merita Christi per passionem consummata: Sed Angeli sunt glorificati ante merita Christi per passionem consummata: Ergo per merita Christi iustificati non sunt. Minor est certa de fide, & patet ex illo Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*. Major vero probatur exemplo Patrum antiquorum qui incarnationem præcesserunt: ideo enim illi non sunt glorificati ante passionem Christi,

quia eorum gratia, erat gratia derivata à Christo, & ideo non debebat prius consummari in membris, quam in capite à quo derivabatur.

Respondet Suarez, negando paritatem, & assignando rationem discriminis, ex eo quod ut homines introducerentur in gloriam, debebat expectari perfecta satisfactio pro peccatis hominum, quæ non fuit Deo exhibita, nisi in passionem & morte Christi: hoc autem non habet locum in Angelis, cum enim non peccassent, non indigebant satisfactione Christi, ut introducerentur in gloriam.

Sed contra: Juxta hunc Authorem, tam dependens erat gloria Angelorum à meritis Christi, quam gloria hominum à satisfactioe Christi: Sed propter dependentiam gloriæ hominum à perfecta Christi satisfactioe, per mortem consummata, non poterant homines intrare in gloriam, nisi post exhibitam talem satisfactioem: Ergo similiter ob dependentiam gloriæ Angelorum à meritis Christi consummatis, non poterant Angeli introducti in gloriam, ante prædictam consummationem meritorum, vel si sufficerent merita Christi, ut prævisis, ad hoc ut Angeli glorificarentur, sufficiebat enim satisfactio Christi ut prævisis, ad hoc ut homines glorificarentur.

Ex dictis confutata manet sententia Vincentii Astutensis & Cipulli: si enim Angeli non habuerunt gratiam & gloriam essentiali ex meritis Christi, ut jam ostendimus, eam non obtinuerunt duplici titulo, ut illi Authores asserunt, sed uno tantum, nimirum gratiæ donationis & pure liberalitatis.

Addo, quod supposita in Deo antecederet ad decretum incarnationis, voluntate efficaci dandi gratiam & gloriam essentiali Angelis ex mera liberalitate, gratis omnino & inutiliter statuitur in illo, consequenter ad tale decretum, nova alia voluntas dandi eandem gratiam & gloriam Angelis inuita meritorum Christi. Quæro enim cui bono nova ista & secunda voluntas? Non bono ipsorum Angelorum, quandoquidè nihil amplius ex vi illius habent de gratia & gloria essentiali, quam ex vi voluntatis antecederentis prævisionem Christi. Non bono etiam gloriæ ipsius Christi, utpote cum non faciat Angelos ab ipso dependere, nisi pro titulo, sine ulla profusore; siquidem quod Angeli habeant ex merito Christi idem quod haberent, licet non esset tale meritum, titulum solum facit dependentiam ab eo, non verò realem. Unde sicut si homines aliunde quam per Christum fuissent iustificati, gratis pro illis mortuus fuisset Christus, ut habet Apostolus ad Galatas 2, dicens. Si enim per legem iustitia, ergo gratiæ Christus mortuus est, ita similiter, si aliunde Angelis iustitia, quam per Christum, videlicet ut concedunt prædicti Authores ex mera liberalitate, gratis pro illis meruit Christus.

§. IV.

Solvuntur objectiones ex testimoniis Scripturæ & SS. Patrum.

Objectione in primis Adversarii quædam Scripturæ testimonia, quibus significari videtur, Christum non solum hominibus, sed etiam Angelis gratiam & gloriam essentiali meruisse: dicitur enim ad Ephes. 1, proposuisse Deum in

Christo instaurare omnia, quæ in cælis sunt, & quæ in terra. Et ad Colossenses primo idem Apostolus allegit Christum, iustificare per sanguinem crucis sue, sive quæ in terra, sive quæ in cælis sunt. Item Joannis 14. Christus dicebat: Nemo venit ad Patrem nisi per me. Denique Apocal. 12. dicitur de Angelis, quod viderunt eum (scilicet Diabolum) per sanguinem agni. Si autem Angelorum victoria adscribenda sit sanguini Christi, sequitur eos ex Christi meritis habuisse perseverantiam, quæ vicerunt draconem, seu diabolum, ac proinde reliqua auxilia gratiæ, & gloriam essentiali.

Confirmatur: Apostolus ad Romanos quinto loquens de gratia Christi ut hominis, eaque essentiali, dicit, quod hæc abundavit in plures, quàm delictum unius Adam: Sed non in plures homines, peccatum enim Adæ omnes homines infecit: Ergo in homines simul & in Angelos, ubinamque Angelis meruit Christus gratiam & gloriam essentiali.

Confirmatur amplius: Ad Hebræos 2, dicitur quod decebat eum propter quem omnia, & per quem omnia qui multos filios in gloriam aduxerat, autorem salutis eorum per passionem consummari. Ubi Apostolus loquitur de Christo, supponitque ipsum ante suam passionem multos in gloriam adduxisse, qui quidem esse debuerunt Angeli, quia prius quam Christus pateretur, nullus hominum intravit cælum: Ergo supponit Christum gloriam essentiali Angelis meruisse.

Ad objectionem respondeo illum locum Epistolæ ad Ephesios sic intelligi & exponi à Divo Thoma ibidem lect. 3. Per Christum instaurari omnia quæ in cælis sunt, id est Angelos, non quod pro Angelis mortuus sit Christus, sed quia in redimendo hominem re-integratur ruina Angelorum: Psal. 139 implent ruinas. Similiter ad alium locum Epistolæ ad Colossenses, respondet idem sanctus Doctor ibidem lectione 5. verba illa esse intelligenda de concordia inter Deum & homines, quam Christus Dominus per mortem suam operatus est. Etenim inter Deum & hominem causa discordiæ fuit peccatum, & inter Judæos & Gentiles lex; quia ergo Christus per crucem destruxit peccatum, & implevit legem, causam tenovit discordiæ, & hoc modo pacificavit sive quæ in cælis, sive quæ in terris sunt, juxta illud ad Ephes. 2. Ipse enim est pax nostra qui fecit utraque unum.

Ad locum ex Joan. 14. respondetur ex eodem Angelico præceptore ibidem lect. 2. sensum horum verborum esse, neminem posse venire ad notitiam Patris, nisi per Verbum suum, quod est filius; cum hoc tamen discrimine, quod homines non veniunt ad notitiam Patris, nisi per Verbum carne velatum, Angeli vero cognoscunt Patrem per Filium, seu Verbum, ut est Deus, & in natura divina subsistit; eaq. notitia beatificatur, & veluti nutriuntur & saginantur, ut bellissime declarat Augustinus concione 1. in Plal. 33. his verbis: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Ecce cibum sempiternum, sed manducant Angeli, manducant superne virtutes, manducant cælestes spiritus, & manducant & saginantur. Quis autem homo possit ad illum cibum? unde eor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo ut mensa illa lætæsceret, & ad parvulos perveniret. Cibum in lac non convertitur, nisi per carnem transiciatur, nam mater hoc facit. Quod manducat mater, hoc manducat infans sed quia minus idoneus est infans qui pane vescatur, ideo ipsum panem mater incarnat, & per humiditatem mammillæ & lactis succum, de ipso pane pascit

pascit infantem. Quomodo ergo de ipso pane pavit nos sapientia Dei quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Videte ergo humilitatem, quia panem Angelorum manducavit homo, ut scriptum est.

87 Ad locum Apocalypsis dico, quod quamvis ante verba citata narretur praelium Angelorum, in illis tamen non loquitur Joannes de Angelis, sed de hominibus, ut patet ex ipso contextu: post narratum enim praelium Angelorum cum diabolo, subditur: *Profectus est accusator fratrum nostrorum, & ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni, & non dixerunt animas suas usque ad mortem. Ubi manifestum est, D. Joannem non loqui de Angelis, utpote animas non habentibus.*

88 Ad primam confirmationem desumptam ex verbis Apostoli ad Romanos quinto, respondeo cum Divo Thoma ibi lectione quinta, quod cum Apostolus dixit gratiam Christi abundare in plures, quam delictum Adæ, lyplures, secundum expositionem Augustini, non sumitur ibi comparativè, sed absolutè; ita ut idem valeat ac multi. Secundum autem Divum Ambrosium, quamvis sumatur comparativè, nihil contra nos quia ut rectè advertit D. Thomas, non sumit Ambrosius delictum Adæ pro delicto originali propagato in omnes homines, sed pro speciali delicto idololatriæ, quod non per propagationem, sed per imitationem descendit ab Adamo in posteros, quod sanè delictum cum abundaverit quidem in multos, non tamen in omnes homines, verum est dicere, quod gratia Christi abundavit in plures homines, quandoquidem non solum pro inidelibus, sed etiam pro peccatis fidelium mortuus est.

89 Ad secundam confirmationem ex verbis Epistolæ ad Hebræos petita, respondeo cum sancto Thoma ibidem lectione tertia, ly multos filios in gloriam adduxerat, intelligendum esse non de Angelis, sed de hominibus, sensumque horum verborum esse, quod multos filios in gloriam adducere decreverat, vel jam adduxerat quoad intentionem & decretum; unde sanctus Doctor hæc verba exponens ait: *Qui adduxerat, id est, adducendos præordinaverat. Quod si aliquis hæc verba Apostoli explicare velit de adductione ad gloriam in executione, dicere poterit, ibi verbum præteriti poni pro verbo futuri; multoties enim in sacris litteris, propter certitudinem prophetiæ, aut eventus futuri, id quod revera erat futurum, significatur per modum præteriti, sicut Isaia nono. Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis.*

90 Obijciuntur secundò quædam SS. Patrum testimonia, quæ favere videntur Adversariorum sententiæ: Bernardus enim sermone vigesimo secundo super Cantica sic habet: *Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laboraret, sic illum de captivitate eruens, sicut hunc à captivitate defendens; & hac ratione fuit æque utrique redemptio, solvens illum & servans istum.* Quibus verbis concedit Bernardus, Angelos fuisse per Christum præservatos ne laborarent; quo posito negari non potest quod per ipsum fuerint iustificati iustitiâ essentiali. Divus Gregorius in caput secundum libri primi Regum: *Nullus (inquit) hominum neque Angelorum est sanctus, nisi per Christum.* Divus Hieronymus in caput primum ad Ephesios de Angelis ait, quod absque peccato nullus sit, & sidera ipsa non sint munda coram Deo, omniique creatura paveat creatoris adventum. Vnde & crux Salvatoris, non solum ea qua in terra, sed etiam ea qua in cælis erant, purgasse perhibetur:

A Ergo juxta Hieronymum Christus passio meruit Angelis gratiam sanctificationem, alioquin non videtur quomodo virtute crucis dicatur purgari.

Ad locum Divi Bernardi respondeo, quod ubi loquitur de Christo, non ut homine, sed ut Deo, quoad Angelos, ut constat ex verbis antecedentibus: *Quoniam (inquit) qui erat angelus, & sanctificatio, redemptio factus est nobis.* Supponuntur verba illa, Christum, antequam fieret nobis dempno, atque adeo priusquam fieret hominem, factum fuisse sanctificationem Angelorum. Cum ergo dicit Bernardus, *Quertus hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laboraret*, solum videtur quod per Christum, in quantum Deum, iterum Angeli boni, sicut per eundem Christum, in quantum Deum & hominem, redempti esse homo lapsus. Eodem modo intelligi & exponi debet Divus Gregorius, cum dicit, quod multum minus neque Angelorum est sanctus, nisi per Christum, hoc enim, quantum ad Angelos, intelligendum est de Christo, ut Deo; quoad homines vero de Christo, ut Deo & homine simul, seu de Verbo ut humanâ carne induro.

Ad locum Divi Hieronymi responderet Valquez disputatione quadragesima nona, capite quinto. *testimonium illud nullius momenti censeri debere, id quod juxta omnium sententiam, manifestum errorem contra fidem contineat: tamen si non satis constiterit ex propria, an ex alterius sententia doceri. Sed hæc responsio temeritate non caret, sed dubio enim relinquit, an unus ex præcipuis Ecclesiæ Patribus (quem maximum Doctorem Ecclesiæ, & magistrum mundi Divus Prosper appellat, ac in lampada ab oriente usque ad occidentem respicientem, affirmavit Augustinus) fuerit hæreticus, necne? Nec valet quod addit Vasquez, nimirum leestimare errorem memoratum non docuisse Hieronymum ex propria sententia, sed ex aliorum libris, nempe Origenis, aut Appollinarij, vel Didymi, &c. Nam hæc correctio errorem potius tribuit Hieronymo, quam ipsum defendat; si enim ex aliorum libris doctrinam illam delumpserit, & hæc (ut asserit Vasquez) manifestum contineat errorem contra fidem, culpabilis reddunt Hieronymus, qui talem errorem docuit, licet ex aliorum libris; non enim licitum est errorem docere, & adducere ex libris aliorum, nisi ad impugnandum.*

Ut ergo à tam gravi injuria, maximum huic Ecclesiæ Doctorem, ac totius orbis magistrum vindicemus, Advertendum est, nomen peccati dupliciter sumi: nimirum strictè, pro culpa mortali; vel largè, pro quocumque defectu creaturæ, quo sensu monstra interdum vocari solent peccata naturæ. Hoc posito dico, quod quando D. Hieronymus dixit Angelos esse sine peccato, ipsamque Christi crucem eos à peccato purgasse, sumit peccatum non strictè pro culpa mortali, sed late pro alio defectu, nimirum pro nescientia mysterii Incarnationis, à qua crux Christi, sive Christus ut homo, purgavit Angelos, eos illuminando quoad mysterium suæ Incarnationis. Fundamentum autem ira explicandi mentem S. Doctoris habetur ex ejus verbis, exponens enim caput secundum Epistolæ citatæ ad Ephesios dicit quod omni creatura Domini sui cruore purgata sit. Certè cum non omnis creatura sit capax mali moralis, de illo non loquitur Hieronymus, sed de peccato, ut significat quemcumque defectum, subindeque idem dicendum est de peccato à quo

In expositione capitis primi docuerat purgari Angelos per crucem Christi.

Obijciuntur tertiò quædam S. Thomæ testimonia, quæ videntur repugnare nostræ sententia: nam S. Doctor super cap. 1. Joannis lect. 10. exponens verba illa Evangelistæ, *De plenitudine quæ nos omnes accepimus*, subdit: *scilicet omnes apostoli, & patriarchæ, & prophete, & iusti qui fuerunt sunt, & erunt, & etiam OMNES ANGELI*. Et infra sic ait: *Plenitudo gratia quæ est in Christo, est causa omnium gratiarum quæ sunt in omnibus intellectualibus creaturis*. Item hic questione septima, articulo nono in corp. docet, quod virtus gratiæ Christi se extendit ad omnes operationes & effectus gratiæ, quæ Christus est primum & universale principium in genere habentium gratiam, sicuti Sol est universalis causa generationis rerum inferiorum.

Ad primum testimonium dicendum, sanctum Doctorem solum velle, omnes, etiam Angelos, de plenitudine Christi accepisse, quatenus varias illustrationes, & gloriam accidentalem, ex merito Christi habuerunt. Cum verò asserit, gratiam Christi esse causam omnium gratiarum quæ sunt in intellectualibus creaturis, & universale principium in genere habentium gratiam, hoc intelligendum est secundum distributionem accomodatam, nimirum quantum ad omnem gratiam, sive accidentalem, sive essentialem, in hominibus: in Angelis vero, quantum ad omnem gratiam accidentalem, quam habent ut ministri Christi in salutem hominum. Et certe cum locis pagographo primo adductis loquatur expressè Divus Thomas de gratia & gloria essentiali, neque Christus eas Angelis meruisse, locis verò in objectione contentis, non loquatur specialiter de illa gratia & gloria, sed de gratia ut sic & in genere, standum potius est locis illis, quàm istis, maxime cum ista possint, juxta expositionem traditam, explicari de gratia accidentali.

§. V.

Diluuntur argumenta ex ratione petita.

Triplex ratio insurgunt Adversarii contra nostram sententiam. Prima sic potest proponi: Christus est primus omnium prædestinatorum; juxta illud Psalmi 39. *In capite libri scriptum est de me*: Ergo est causa prædestinationis omnium electorum, tam hominum, quàm Angelorum, subindeque omnium effectuum prædestinationis illorum: Sed gratia est primus effectus prædestinationis Angelorum: gloria verò essentialis ultimus: Ergo Christus est causa tam gratiæ quàm gloriæ essentialis Angelorum. Minor subleptio, & ultima Consequentia patent, prima verò suadet ex illo communi axioma: *Primum in unoquoque genere est causa cæterorum*. Ergo si Christus sit primus omnium prædestinatorum, erit causa prædestinationis omnium electorum, tam hominum, quàm Angelorum.

Secunda ratio Adversariorum sic procedit: Gratia & gloria essentialis conferuntur hominibus prædestinatis ex meritis Christi, quia est caput illorum. Sed Christus, etiam in quantum homo, est Angelorum caput, ut articulo præcedenti ostendimus: Ergo etiam illis gratia & gloria essentialis ex meritis Christi conferuntur.

Tertia ratio est: Eadem videtur esse ratio de tota gloria essentiali Angelorum, ac de quocunque gradu illius: Sed aliquis gradus gloriæ essen-

tialis Angelorum (ille nimirum qui fuit præmiū correspondens actui fidei quem Angeli adhuc viatores habuerunt in Christum ut consummato rem suæ gloriæ) dependet ex meritis Christi prævisis: Ergo & tota gloria essentialis illorum.

Hæ tamen rationes, licet aliquam probabilitatis speciem præferant, facillè dilui possunt ex fundamentis quæ supra statuitis. Ad primam enim responderetur, quod licet Christus sit primus prædestinatorum, non tamen eodem modo respectu omnium; nam respectu hominum est primus prædestinatorum, non solum prioritate dignitatis & perfectionis, sed etiam prioritate causalitatis & influxus, quia prædestinatus est ut illorum redemptor, supposita prævisione peccati originalis: respectu verò Angelorum est quidem primus, quantum ad perfectionem & dignitatem, & rationem communem causæ exemplaris; imò est finis eorum, secundum quod sunt præordinati ut ministrent Christo in officio redemptionis; non tamen est primus prioritate causalitatis & influxus respectu gratiæ & gloriæ essentialis Angelorum, cum non sit prædestinatus ut esset illorum redemptor, sed tantum per respectum ad gloriam accidentalem, quam Christus ut ipsorum caput in ipsos infundit, ut articulo præcedenti declaravimus. Quando verò dicitur, quod primum in unoquoque genere est causa cæterorum, hoc debet intelligi de causalitate in aliquo genere causæ, vel efficientis, vel exemplaris, vel finalis, non tamen requiritur, quod sit causa efficiens illorum physice vel moraliter; homo enim v.g. licet sit primus in genere animalis, non est tamen causa efficiens cæterorum animalium.

Ad secundam rationem dicendum, non ex sola generali ratione capitis nos colligere omnes effectus nostræ prædestinationis procedere ex meritis Christi, sed ex habitudine capitis ad talia membra ejusdem naturæ specificæ, ad quorum reparationem principaliter venit Christus. Unde D. Thomas quæst. 29. de verit. art. 4. ad 7. ex fine Incarnationis, quia scilicet principaliter facta est ad liberandum hominem à peccato, colligit quod humanitas Christi ordinetur ad influendum in homines redemptos, ut ad finem principaliter intentum, non autem ad influendum in Angelos; nam influxus supra explicatus quo Angelos illuminat, & præmia accidentalia eis tribuit, non est finis Incarnationis, sed Incarnationem consequens, ut ibidem ait S. Doctor.

Dices, si Christus solum accidentaliter infundit in Angelos, dona scilicet accidentalia, solum accidentaliter & secundum quid erit caput Angelorum, non verò absolute & simpliciter, contra testimonia Scripturæ articulo præcedenti adducta, in quibus absolute & sine addito dicitur caput Angelorum. Difficile etiam explicari poterit, quomodo prædestinatio Angelorum subji-ciatur prædestinationi Christi, ut consummandæ & perficiendæ per ipsum.

Sed nego utramque sequelam licet enim ad rationem capitis naturalis & physici requiratur quod vitam essentialem in membra infundat, non tamen ad rationem capitis morales & mystici, ut patet in Principe respectu Reipublicæ; unde licet Christus gratiam & gloriam essentialem in Angelos non infundat, quia tamen habet influxum in illos, tum secundum exteriorē gubernationē, tum secundum communicationē accidentalium donorum, potest simpliciter & absolute dici Angelorum caput, licet non omnibus modis, nec in-

D d d d

Tom. IV.

ita propriè, sicuti hominum, ut docet D. Thomas hic art. 4. & nos articulo præcedenti declaravimus. Perfectè etiam salvatur, & facile explicatur in nostra sententia, quomodo gratia Angelorum consummatur per Christum: ad hoc enim sufficit quod ab ipso recipiat perfectionem accidentalem, sicut omnis substantia perficitur & consummatur per accidentia.

- 103 Ad ultimam rationem respondeo negando suppositum Minoris nempe quod aliquis gradus gloriæ essentialis fuerit præmium actus fidei Angelorum in Christum, reduplicativè quæ talis; quamvis enim actus ille, consideratus secundum suam substantiam, & quatenus erat actus fidei aliorum mysteriorum, Trinitatis v.g. fuerit meritorius gloriæ essentialis; sicut tamen erat ei accidentale quod terminaretur ad Christum, ut consummatorem gloriæ, ita secundum terminationem hanc consideratus, non fuit meritorius præmii nisi accidentalis, non verò essentialis.

§. VI.

Corollarium præcedenti doctrinæ.

- 104 EX dictis inferes, Christum Dominum non meruisse Adamo gratiam essentialem quam habuit in statu innocentie: gratia enim collata ex meritis Christi, cum sit dependens ex prævisione peccati, est gratia sanans & redimens, unde a Theologis medicinalis appellatur: Atqui gratia status innocentie, non fuit gratia sanans, sed sanitatis; ut enim dicitur Matth. 9. *Non est opus valetibus medico, sed his qui male habent*: Ergo non fuit ex meritis Christi Redemptoris, sed ex sola liberalitate Dei Conditoris.
- 105 Confirmatur: Gratia collata ex meritis Christi est fructus sanguinis & passionis ejus, cum omne meritum Christi pro his quos sanctificavit, ita fuerit passiæ suæ & morte consummatum, ut nemo per Christum sanctificatus sit, nisi pro eo Christus passus & mortuus sit, ut §. 1. ratione 2. declaravimus: Sed sanguis & passio Christi, non pertinet ad statum innocentie Adami, ut enim ait Augustinus de corrept. & gratia cap. 12. *In illis bonis Adam Christi morte non eguit*: Ergo gratia essentialis illius status non fuit ex meritis Christi. Sicut tamen Christus idè meruit Angelis gratiam & gloriam accidentalem, quia eas Deus ipsis conferre voluit, consequenter ad prævisionem Christi: ita propter eandem rationem, gratia accidentalis fidei in Christum ut consummatorem gloriæ, quem habuit Protopatens in sua innocentia, consequenter ad revelationem mysterii Incarnationis; illa, inquam, gratia, ipsi à Deo collata est, dependenter à merito Christi.

ARTICULUS V.

Per quam gratiam Christus in ratione capitis Ecclesie constituitur?

- 106 CUM in Christo duplex sit gratia, una substantialis, quæ gratia unionis dicitur, altera accidentalis, quæ habitualis appellatur, difficultas & controversia est inter Theologos, quænam ex illis Christum in ratione capitis Ecclesie constituat, subindeque gratia capitalis appelletur? Valde enim hic disp. 48. cap. 4. Meritatus disp. 24. sect. 9. alii; ex Recentioribus, contendunt so-

lam gratiam unionis Christum in ratione capitis constituere, subindeque gratiam capitalis dicere. E contra verò Medina, Nazarius, Atanasius, Cipullus, alii; ex nostris Thomistis, docent, gratiam habitualis esse in Christo gratiam capitis. Existimo tamen, gratiam Christi capitalis consistere quidem in recto in gratia habituali, sed in obliquo gratiam unionis imponere. Unde sit

§. I.

Duplici conclusione vera sententia statuitur.

Dico primò: Gratia unionis in Christo, gratia capitis non est.

Probatur conclusio ratione fundamentali. Gratia capitis in Christo est illa per quam in ipsum homo influit efficienter moraliter gratiam in Ecclesie membra: Sed Christus ut homo per gratiam unionis hujusmodi efficientiam non habet: Ergo gratia unionis in Christo gratia capitis non est. Major patet, nam influxus qui per se propriè pertinet ad rationem capitis in Christo, est per modum meriti; licet enim Christus ut homo physicè etiam influat in nostram justificationem, hanc tamen influxum non habuit respectu antiquorum Patrum qui iustificati fuerunt ante Christi adventum, & tamen elè verè caput eorum respectu illorum, Minor verò probatur. Per illam formam influit Christus ut homo moraliter efficienter gratiam, quæ est principium quomodo merendi: Sed gratia unionis non est humanitatis Christi principium quo merendi: Ergo Christus per gratiam unionis non influit efficienter moraliter gratiam in Ecclesie membra. Major est evidens, Minor verò suaderur. Id est Christo in homini principium quo merendi, quod est humanitati principium quo eliciendi actus supernaturales, & efficiendi opera meritoria: Sed gratia unionis non est humanitati Christi principium quo operandi, cum non informet physicè humanitatem, nec cum illa identificeatur, quæ alterum necessarium erat, ut per eam posset humanitas Christi actus meritorios efficere, prædisp. 12. art. 2. ostensum est: Ergo gratia unionis non est in Christo principium quo merendi.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Gratia capitis constituit Christum intra genus ordinem operativi, per illam enim Christus constituitur potens influere in alios: Sed per gratiam unionis Christus non constituitur intra genus ordinem operativi: Ergo per illam in ratione capitis Ecclesie non constituitur. Major patet, Minor probatur, gratia unionis nihil aliud est quam ipsa substantia Verbi Divini, communio Christi humanitati: Sed per talem substantiam non constituitur Christus intra genus & ordinem operativi, cum substantia nec proximè nec radicaliter operativa sit; quia neque est potentia operativa, quæ est principium proximum operandi, neque natura, quæ sola est principium radicale operationis, sed solum terminus & complementum naturæ: Ergo per gratiam unionis Christus intra genus & ordinem operativi non constituitur.

Dico secundò: Gratia capitis in Christo consistit adæquarè in recto in gratia habituali, obliquo tamen & de connato, gratiam unionis importat.

Probatur prima pars conclusionis: Est in Christus ut homini radicale posse ad in-

non in membra Ecclesiae, gratia capitalis est: Sed gratia habitualis Christi hoc praestat: Ergo est gratia capitalis. Major patet, gratia enim capitalis est dicitur quae est influxiva in alios, cum de ratione capitis sit in membra influere. Minor verò soletur. Christus influit in membra Ecclesiae, per meritum & satisfactionem: Sed gratia habitualis dat Christo ut homini possit radicaliter mereri, ut disp. 12. art. 2. ostensum est: Ergo dat illi posse radicaliter influere in membra Ecclesiae.

Confirmatur: Ad rationem capitis tres solum conditiones requiruntur, nimirum prioritas, eminentia & influxus: Sed gratia Christi habitualis habet tres illas conditiones habet: Ergo gratia capitalis est. Minor probatur: In primis enim gratia habitualis Christi est prior gratia ceterorum hominum, cum quia magis accedit ad Deum, tum etiam quia est finis & exemplar gratiae datae aliis hominibus: sicut praedestinatio Christi est finis & exemplar nostrae praedestinationis. Est etiam eminentior gratia hominum & Angelorum, cum sit multo perfectior & abundantior, & Christus gratiae plenitudinem habeat. Denique Christus per eam influit in Ecclesiae membra, ut jam ostendimus: Ergo conditiones ad rationem capitis requiritas habet.

Secunda pars quae asserit gratiam habituales ut est gratia capitis, in obliquo & de connotato gratiam unionis importare, manifesta videtur: Gratia enim habitualis est gratia capitis, quatenus Christum ut hominem constituit potentem ad condigne pro nobis satisfaciendum: Sed hoc non praestat sine gratia unionis, opera Christi satisfactoria & meritoria infinite dignificante: Ergo illam de connotato importat, prout gratia capitis est.

Adde, quod nisi gratia capitalis Christi, gratiam unionis connotaret, pura creatura posset esse caput Ecclesiae quoad meritum condignum gratiae, & condignam satisfactionem pro peccato generis humani: cum omne quod gratia habitualis Christi importat, pura creaturae communicebile sit: Sed hoc dici nequit, ut docet D. Thomas hic art. 6. Ergo gratia capitalis Christi, gratiam unionis de connotato importat.

§. II.

Solvantur obiectiones.

Obijcies primò contra praecedentes conclusiones: Illa Christi gratia capitalis dicenda est, quae in ipso est prior & perfectior, illumque reddit potentem in membra Ecclesiae gratiam influeri. At illae conditiones non conveniunt gratiae habituali Christi, sed gratiae unionis: Ergo gratia unionis, non verò gratia habitualis, Christum in ratione capitis constituit, & gratia capitalis dicenda est. Major patet, ut enim supra declaravimus, ad rationem capitis tria requiruntur, nimirum prioritas, eminentia & influxus. Minor verò probatur quantum ad singulas partes. Et in primis quod gratia habitualis in Christo non sit prior, videtur manifestum, cum supponat gratiam unionis, & ad illam sequatur tanquam proprietatem. Quod etiam non sit praestantior & eminentior, non minus evidens est, cum Christus perfectiori modo sit sanctus per gratiam unionis, quam per gratiam habituales. Denique quod per gratiam habituales non constituitur potens influere gratiam in alios, ostenditur primò, Christi

influit gratiam in homines, per proprium meritum, quatenus ordinatum ad promerendum aliis: Sed gratia habitualis Christi non est principium istius ordinationis, cum sit eisdem speciei in Christo & in nobis, & gratia nostra huiusmodi ordinationis non possit esse principium, sed sit ad premium proprio subiecto promerendum alligata: Ergo per gratiam habituales Christus non constituitur potens influere gratiam in homines. Secundo, Christus influit gratiam in homines per proprium meritum, quatenus est infinitum: Sed gratia habitualis non est principium meriti Christi, quatenus est infinitum: Ergo non constituit Christum potentem influere gratiam in homines, sed hoc soli gratiae unionis competit.

Respondeo distinguendo Majorem: Illa Christi gratia capitalis dicenda est, quae est prior & perfectior in omni ordine, nego Majorem: in aliquo ordine, concedo Majorem, & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam.

Explicatur solutio: Licet gratia habitualis, unionis gratiam supponat, ac proinde non sit in omni ordine prima, est tamen prima in suo proprio ordine, nempe supernaturali non hypostatice, quae primitas sicut sufficiens est ut verè & propriè rationem naturae sortiatur, ita etiam sufficit ut gratia capitis sit. Similiter quamvis gratia habitualis non sit simpliciter & omnibus modis perfectior, & Christus nobiliori modo sit sanctus per gratiam unionis, quam per gratiam habituales, est tamen nobilior & perfectior in ratione principii quo operandi, quae prioritas & perfectio in gratia capitali praecipue attenditur, cum habeat constituere ipsum caput in genere activi, ut supra vidimus. Unde ad illud quod additur in objectionem de vi influxiva gratiae in alios, nego, quod per gratiam habituales Christus non constituitur potens influere gratiam in homines. Ad primam verò probationem in contrarium, distinguo Majorem: Christus influit gratiam in homines per proprium meritum, quatenus ordinatum ad promerendum aliis: ly quatenus dicente conditionem ad merendum aliis, concedo Majorem, Dicente rationem formalem, nego Majorem, & praetermissa Minori, nego Consequentiam.

Nam est gratia habitualis non sit principium ordinationis operationum Christi ad influendum in alios, sed à libera Christi voluntate talis ordinationis proveniat; quia tamen haec non est ratio formalis, sed duntaxat conditio requisita ad merendum aliis, non licet inferre, gratiam non principiantem huiusmodi ordinationem, non reddere Christum potentem ad influendum in alios.

Ad secundam probationem dico gratiam Christi, etsi physice finita sit, & ejusdem rationis cum nostra, esse tamen moraliter infinitam, & ratione huius infinitatis moralis meritum efficere quatenus est infinitum, ut disp. praecedenti art. 1. conclus. 3. declaravimus.

Obijcies secundò: Gratia habitualis Christi & nostra sunt ejusdem speciei, ut disp. 12. art. 1. docuimus: Sed gratia nostra non est sufficiens ad caput constituendum, aliàs purus homo posset esse caput Ecclesiae, quoad influxum interiore gratiae per meritum condignum, cujus oppositum docet D. Thomas hic art. 6. Ergo gratia habitualis Christi non potest ipsum in ratione capitis Ecclesiae constituere, nec per consequens gratia capitalis appellari, sed hoc soli gratiae unionis competit. Patet Consequentia, nam eadem forma in variata, eandem praebet effectum: Ergo si

gratia nostra habitualis sit ejusdem rationis & speciei cum gratia habituali Christi, & puro homini nequeat rationem capitis Ecclesiae tribuere, nec id poterit Christo ut homini prestare.

116 Respondeo quod licet gratia habitualis Christi & nostra sint ejusdem speciei in esse physico, in esse tamen moris specie distinguuntur, quia gratia habitualis animae Christi, ratione conjunctioris quam habet cum persona Verbi, & gratia unionis, dignitatem quandam & valorem infinitum habet, ratione cujus potest esse principium quo satisfactionis & meriti infiniti, ut disp. 4. ostensum est: haec autem moralis diversitas sufficit ad hoc, ut gratia habitualis Christi possit ipsum in ratione capitis Ecclesiae constituere, licet gratia nostra habitualis rationem capitis Ecclesiae puro homini tribuere nequeat. Unde quando in objectione dicitur, quod eadem forma invariata eundem praebet effectum, distinguendum est: invariata tam physice quam moraliter, concedendum invariata physice, variata tamen moraliter, negandum. Vel dicitur hoc esse verum, quando effectus praestatur a forma secundum sola intrinseca praedicata, secus autem quando a forma non provenit ratione tantum praedicatorum essentialium, sed simul ex aliquo adjuncto ingrediente in obliquo & de connotato, qualiter in praesenti contingere, conclusione secundum ostensum est: ibi enim docuimus, quod licet in Christo gratia capitis consistat adaequate in recto in gratia habituali; in obliquo tamen & de connotato, gratiam unionis importat.

117 Objectiones tertio: Ideo gratia habitualis Christi, secundum nos, ipsum constituit in ratione capitis Ecclesiae, quia influit in substantiam operationum quibus satisfecit pro nobis, nobisque gratiam & gloriam de condigno promeruit: Sed gratia unionis dat istis operibus infinitam dignitatem, quae principaliter se habet in operibus meritoriis & satisfactoriis, quam ipsorum entitas & substantia: Ergo a fortiori gratia unionis Christum in ratione capitis Ecclesiae constituit.

118 Respondeo distinguendo Majorem: quia influit in substantiam operationum, &c. effectivè & per modum principii quo, concedo Majorem: quia influit aliis modis, nego Majorem, & concessa Minori, nego Consequentiam: gratia enim capitalis debet esse principium quo agendi, gratia vero unionis est operationes Christi infinitè dignificet, non est principium quo operandi, id eoque gratia capitalis non est. Item caput non per influxum formalem, sed per effectivum in ratione capitis constituitur: gratia autem habitualis constituit Christum ut hominem efficienter influentem in opera meritoria; gratia vero unionis quae est ipsa substantia Verbi, vel natura divina humanitati conjuncta, non efficienter, sed formaliter dat operibus Christi meritoriis & satisfactoriis dignitatem & valorem; & idcirco non gratia unionis, sed gratia habitualis, Christum ut hominem in ratione capitis Ecclesiae constituit, subindeque gratia capitalis est.

Ex quo intelliges, gratiam Christi capitalem solâ ratione differre à personali: Dicitur enim personalis, quatenus humanitatem Christi sanctificat, capitalis vero, prout dat posse influere in alios: Sed eadem est forma per quam subiectum aliquod in actu constituitur, & redditur potens agere, cum sola distinctione rationis, ut constat in calore ignis, per quem, absque reali distinctione, ignis in actu calidus constituitur, &

A redditur potens calefacere: Ergo gratia capitalis Christi, solâ ratione differre à personali.

DISPUTATIO XV

De Scientia Christi in communem.

Ad quaestionem 9. D. Thomae.

Inter perfectiones à Verbo assumptas, singulariter notavit Evangelista, plenitudinem scilicet gratiae & veritatis, id est cognitionis animae Christi. Uade postea S. Doctor de prioribus praecedentibus quaestionibus fuisse differuit, hic quaestionibus sequentibus, agi de posteriori, & praesentali ordine, quod prius tractat de scientia Christi in communi, deinde disputat de singularibus speciebus in particulari: nimirum de scientia beata, infusa, & acquisita. Eundem ordinem methodum observantes, pauca hic de scientia Christi in communi dicemus, sequentibus disputationibus, de triplici illa Christi scientia fuisse & lato calamo differemus.

ARTICULUS PRIMUS

Utrum in intellectu creato Christi fuerit aliqua intellectio creata, vel tantum per intellectiorem creatam, & divinam intellexerit?

VT fide certum supponimus, Christum Divinum habuisse intellectum creatum, quod à nullo concedente illum esse verum hominem negari potest, cum intellectus sit proprietas animae rationalis, subindeque omni habenti animam rationalem competere debeat. Unde in ista Synodo generali actione 11. definitur: Verbum assumpsit animam rationalem, animamque nobis contribuere, & mentem mentis nostrae comparari. Verum autem significat animam secundum partem operiorem, quae est intellectiva: Ergo in Christo est intellectus humanus & creatus. Hoc promissum, inquitur, an talis intellectus Christi Divini, per intellectiorem humanam & creatam, vel solùm per divinam & increatam intellexerit? In cujus difficultatis resolutione, relictis orthodoxis erroribus, qui quamvis concederent intellectiorem creatam in intellectu Christi creato, & increatam in intellectu Christi divino, ex utraque tamen unam operationem eandem assererent, subindeque unam duntaxat intellectiorem in Christo admittebant. Relictis, inquam, hoc errore, quidam inter ex Catholice, quibus visum est, animam Christi non alia intellectiione usam esse, quam divinam & increatam, sententiam tenuit olim quidam Joannes de Capreolo in 3. dist. 14. qu. 1. art. 1. lamque suo tempore quibusdam placuisse videtur D. Bonaventurae ibidem. fuisseque publicè defensam Parisiis testatur Gregorius in 2. dist. 7. qu. 2. Denique inter antiquos pro abroganda Christo scientia creata, fuisse laborem Hieronymi Victorini tomo 3. Tract. de sapientia Christi, ubi quamvis initio illud duntaxat